ADITVS AD LOGICAM.

In vsum eorum qui primò ACADEMIAM Salutant.

Autore SAMVELE SMITH *Artium Magistro.*

Quarta editio, de nouo correcta, & emendata.



LONDINI
Per *Guilielmum Stansby.*
1627.


BRITISH MUSEUM

AD LOGICAM.

LIB. I.

CAP. I.

De definitione & diuisione Logicæ.



Ogica est scientia de quouis themate probabiliter & anguste differendi. Vel vt planiùs dicam; *Logica est artificiosa & methodica præceptorum comprehensio, quâ cognoscimus succincte ratione vti ad fidem faciendam in qualibet re probabili.*

Logicæ definitio.

Differt à *Grammatica*, quia hæc congruè dicere, illa secundum veritatem disserere; à *Rhetorica*, quia hæc palmâ expansa, id est, fusè & ornatè, illa pugno contracto, id est, strictè & angustè argumentari docet.

Quomodo differt à Grammatica & Rhetorica.

Argumentari verò dicitur, non quòd tota Logicæ vis in argumentatione est sita;

Tria enim sunt Logicæ munera. { Definire obscura, Diuidere vniuersa, Ratiocinari de verisimilibus.

Sed cum inter ista & plura, alia Logicæ munera, quæ istis superaddat huius artis studiosus, primas semper obtinuit Argumentatio, eius solùm in definitione mentionem feci-

. docet
.., ita vltima non
..ecte argumentari, sed solum
.. obabili; vel quod probabilium argumentorum maior est copia, quàm necessariorum, & proinde à parte vberiori sumitur definitio, vel quia necessaria non sunt omninò Logicæ considerationis. Quatuor enim sunt teste Aristotele de quibus non est disserendum. 1. Ea quæ pœnam merentur; vt An Deus sit colendus. 2. Quæ sensui sunt obvia, vt An nix sibi alba. 3. Quæ à nobis longè sunt amota, vt An sit aliquid supra cœlum vltimum. 4. Quæ possunt demonstrari, vt An homo sit risibilis. Quum igitur manifestè vera & manifestè falsa, aut demonstratione probari, aut sensu percipi possunt; restat, vt res solæ probabiles sint Logicæ considerationis, aut necessariæ, quatenus speciem præ se ferunt probabilitatis, & pro nostri conceptus imbecillitate nobis videntur probabiles.

Generalis divisio Logicæ.

Tota Logica in tres partes dividitur; prima agit de vocibus simplicibus; secunda de complexis; tertia de discursu: vt enim pueruli abcedarij primò literas & syllabas noscere, inde notas coniungere, vltimò coniunctas legere sunt erudiendi: ita tyrones logici primò edocendi sunt, quid est vox, quomodo formetur, & quos vsus in logica habet secundò quomodo ex vocibus simplicibus fiat propositio, & quæ sunt eius affectiones; vltimò ex quibus propositionibus extruendus est syllogismus: quæ omnia dum nos

(annu-

(annuente Deo) tribus libris ostendere auspicamur, constructionis ordinem sequemur, & à voce simplici exorsi, indeq; ad propositionem progressi, in discursu demùm consistemus.

Cap. II.

De definitione & diuisione Vocis.

VT vocis natura, quæ primi & secundi libri subiectum est, meliùs dignoscatur, ab eius definitione & diuisione exordium sumemus, vt quid sit de quo agitur omnibus innotescat.

Vox est signum rei & conceptuum ex instituto diuino aut humano, certa literarum aut syllabarum conformatione scriptum, aut pronunciatum. *Vocis definitio.*

Ad vocem Logicam tria præcipuè requiruntur. Primò, vt sit significans, vnde infantium voces propriè non sunt voces, quia non sunt signa rerum. Secundò, vt non significet naturaliter, *sicut risus apud omnes letitiam, fletus mæstitiam designat*, sed ex instituto vel diuino, *vt lingua Hebræa*, vel humano, *vt reliqua omnes à Babelis euersione exortæ*. Tertiò, vt conformetur literis & syllabis, siue scribatur, siue pronuntietur: Vnde differt à sono, quod Sonus est collisio duorum corporum solidorum, sed vox non nisi naturalibus instrumentis formetur his versibus cõprehensis *Instrumenta nouem sunt. guttur, lingua, palatum Quatuor & dentes, ac duo labra simul.* *Tria ad vocem requisita.* *Quomodo vox differt à sono.*

Multifariam diuiditur vox, primò in Simplicem & Complexam. *Prima vocis diuisio.*

Vox simplex est cuius nulla pars quicquam separatim significat, vt *veritas*, *domus*,

 licet

licet enim *Do* & *mus* separatim sumpta vt sunt per se vocabula aliquid significant, prout tamen sunt partes illius vocabuli *Domus* nihil separatim designant.

¶ Vox complexa est quæ ex duabus aut pluribus simplicibus conflatur, *vt Armata veritas*; de hac voce fusiùs in sequentibus agemus.

Lib.2.

Vox simplex rursus subdiuiditur in Concretam & Abstractam.

Vox concreta est quæ res coniunctim significat; vt album *parietem, hominem, aut tale aliquod subiectum consignificat cum albedine eidem inhærente.* Abstracta est quæ rem separatim significat, vt albedo *qualitatem notat nulli subiecto inhærentem.*

Diuisio secunda.

Secundò diuiditur in vocem { primæ / secundæ } { notionis, seu / impositionis.

Vox primæ intentionis est, quæ aliquid extra animum significat, & rei primò est imposita: vt *Aurum, virtus.*

Vox secundæ notionis est, quæ non immediatè rem, sed modum aliquem seu instrumentum, quo mediante res intelligitur, denotat; vt *Genus, Species, omnes{q́ue} voces artis.* Sic in Grammatica *lapis* est vox primæ notionis: sed quando dicimus lapis est nomen(*nomen*) erit vox secundæ notionis; sic in Logica *animal* est vox primæ notionis naturam realem animalis significans, sed vt est *Genus* est vox secundæ intentionis.

Diuisio tertia

Vltimò vox diuiditur in Communem, & Singularem.

Vox singularis est quæ vni tantùm rei attribuitur, vt *Oxonium vnius Academia, Socrates vnius hominis nomen est.* Hæc vox apud Logicos

gicos vulgo appellatur Indiuiduum: & quadrifariam diuitur in *Indiuiduum Quadruplex.*

{ Vagum, Signatum,
Demonstrativum,
Ex hypothesi.

1 Individuum vagum est vox communis, quæ aliquo quidem modo sed imperfectè ad rem singularem restringitur: sic si dicam *quidam homo*, verbum illud *quidam* hominem restringit, ita tamen vt quis intelligatur, nobis sit incognitum.

2 Determinatum est quod ad determinatam & certam rem singularem significandam ex arbitrio imponentium est institutum; suntq; propria rerum nomina, vt *Gabriel, Alexander, Bucephalus.*

3 Individuum demonstrativum est quando terminum communem cum pronomine demonstratiuo sumimus, ad vnum aliquod particulare designandum; vt *Hic homo.*

4 Individuum ex hypothesi seu suppositione est, quando vniuersale & commune nomen facta suppositione aliqua, non nisi de vno prædicatur, vt *Sophronisci filius.* Qui ex se quidem est terminus communis, sed quia iuxta veritatem vni solum nimirum *Socrati* competit, secundum hanc suppositionem, quod Sophroniscus Socratem solum genuerit, Individuum dicitur, & rem singularem designat.

Alia apud alios Authores recensentur Individua, vt *Indiuidua* καθ' ἐξοχὴν, vt poeta pro Virgilo, *aut* περιφραστικῶς, vt fluuius septemfluuius pro Nilo quæ ad aliquod dictorum indiuiduorum nullo cum negotio reduci possunt.

Vox communis est quæ multis communicatur, *sic homo de hoc & illo homine prædicatur, & animal huic & illi animali attribuitur*

De voce singulari nulla tractat disciplina, & proinde Plato nos acquiescere iubet, cum semel ad ipsam deventum sit. Communis verò est huius primi libri subiectum, quem obinde in duos tractatus partiti sumus, quorum primus aget de Prædicabilibus, posterior de Prædicamentis. Prædicabile enim à Prædicamento differt, primò quia Prædicabilia sunt recepta & res contentæ, at Prædicamentorum gradus sunt receptacula, & res continentes: secundò, Prædicamenta sunt primæ notiones & Prædicabilia secundæ: vltimò quoniam Prædicamenta sunt res quæ prædicantur, Prædicabilia ostendunt, quomodo prædicantur: de vtrisque suo loco agemus, & primo de Prædicabilibus.

Quomodo Prædicabile à prædicamento differt.

Cap. III.

De Prædicabilibus.

Prædicabile quid?

Prædicabile est vox communis quæ de pluribus aptè nata est dici, *vt Animal de homine & bruto*. Dicimus quòd hæc vox *aptè nata est dici*, *seu* quod idem sonat, *habet potentiam prædicandi de pluribus*, quia licet actu quandoq; de vno tantum prædicatur, *vt animal de Socrate in hac propositione, Socrates est animal*, potentiam tamen habet de pluribus prædicandi, *Platone* scilicet, *Aristotele, aut quouis libet alio animali.*

Quomodo differt ab vniuersali.

Prædicabile verò differt ab Vniuersali, quòd Prædicabile dicitur de multis & Vniuersale est in multis: sic *natura humana dicitur* vni-

vniuersalis, quia est in quolibet particulari homine, sed *homo dicitur Species*, quia de singulis hominibus prædicatur, imò ob eam causam prædicabile dicitur de multis quoniam vniuersale est in multis, *vt homo de Socrate & Platone ideo prædicatur, quia humana natura vtrisque inest*.

Quinarius prædicabilium numerus.

Quinque enumerantur prædicabilia.
1. Genus.
2. Species.
3. Differentia.
4. Proprium.
5. Accidens.

Quid genus.

Genus est prædicabile quod prædicatur de pluribus specie differentibus in Quid, *Specie vero ea dicuntur differre*, quæ sunt diuersæ species eiusdem generis. *Sic homo & brutum specie differunt*, & de ijs animal vt Genus prædicatur. *Prædicari autem in Quid*, est respondere ad quæstionem factam per Quid; interroganti enim *quid est homo*? ritè respondetur *Animal*.

Prima diuisio generis.

Genus trifariam diuiditur primò in { Summum. Subalternum.

Genus summum est quod nunquam potest esse species, seu quo nullum datur aliud superius genus, vt *Substantia, Quantitas, &c.* totidem enim sunt summa genera quot sunt prædicamenta.

Subalternum est quod aliquando est genus, aliquando species: & ideo dicitur subalternum quod alternis vicibus genus est & species; Genus respectu inferiorum, & species respectu superiorum; *sic Substantia est Genus summum, Corpus subalternum*: genus enim est respectu corporis simplicis & compositi, & species respectu Substantiæ.

Secundò,

Diuisio secunda.

Secundo diui- { Proximum,
ditur Genus, in { Remotum,

Proximum est quod proximè speciei adiacet.

Remotum longiùs à specie distat, sic *corpus est remotũ, animal est proximũ hominis genus.*

Diuisio tertia

Tertio Genus est, vel { Perfectum } siue { Vniuocum.
{ Imperfectũ } { Analogum.

Genus perfectum est quod æqualiter communicat naturam suis inferioribus, *sic animal dicitur genus perfectum*, quia æquè primò homini convenit, & bruto: brutum enim est æquè corpus animatum ac homo.

Imperfectum genus est quod vtrisque speciebus communicatur, sed alteri magis, alteri minus; ita *substantia de natura entis magis participat, quam accidens*; accidens enim omnino non esset, nisi substanciæ inesset.

Quid species.

Species est prædicabile quod prædicatur de pluribus numero differentibus in Quid. *Vt homo, fortitudo. Numero vero dicuntur differre*, quæ sunt indiuidua & numerando solum sunt diuersa, *vt Plato & Socrates*, qui in humana natura simul conveniunt, sed numerando *hunc Platonem ab illo Socrate* diuersum esse dicimus.

Prima eius diuisio.

Bifariam dividitur { Perfectam.
Species, primò in { Imperfectam.

Perfectæ dicuntur species, quæ sub perfecto genere continentur; *vt homo & Brutum sub animali.*

Diuisio secunda.

Imperfectæ sunt quarũ vna perfectã, altera imperfectã generis participationẽ habet, *sic Substantia plus habet de natura entis quã accidens*

Secundò species { Subalternam.
partitur, in { Imam.

Species subalterna cum genere subalterno in omnibus consentit.

Ima

Ima species semper est species & nunquam Genus, vt *Homo*, & hæc sola in præsentiarum consideratur.

Differentia est prædicabile quod prædicatur de pluribus specie, vel numero differentibus in Quale quid. Dicitur prædicari, *De pluribus specie differentibus*, propter differentiam genericam, de *pluribus numero differentibus*, propter differentiam specificam, *Et in Quale Quid*, quia essentialem qualitatem notat, *vt rationale*. *Quid differentia.*

Tribus modis dividitur, primò in { Communem, Propriam, Maximè propriam. } *Prima eius diuisio.*

Communem voco quæ sumitur ab accidente communi, *sic idem à seipso potest differre* Socrates enim puer à seipso iam grandævo differt. Propriam, quæ sumitur ab accidente proprio, *sic oculatus Oedipus à seipso oculis capto distinguitur.* Maximè propriam (quæ maximè ad propositum nostrum spectat) eam voco quam iamiam definivimus; duæ enim priores differentiæ solummodò ἀλλοιον qualitate diuersum aliud ab alio facit, hæc ἄλλο seu essentialem quandam discrepantiā constituit, vt *rationale inter hominē & brutū.*

Secundò differentia, illa scilicet quā nos maximè propriam vocauimus, in { Genericā, Specificā. } diuiditur. *Diuisio secunda.*

Generica est quæ de pluribus specie differentibus dicitur, *vt sensibile de homine & bruto.* Specifica est q̄ de pluribus numero differentibus predicatur, *vt rationale de Socr. & Platone.*

Tertiò diuiditur in differentiam { Diuisiuā quæ diuidit genus, Constitutiuam quæ speciem constituit. } *Diuisio tertia.*

Notan-

Notandum verò eſt quòd eadem differentia differenti ratione & diuiſiva eſſe poteſt & conſtitutiva: Diuiſiva ſcilicet ratione ſui ſuperioris generis, ſed Conſtitutiva reſpectu ſpeciei; vt *rationale diuidit animal, & conſtituit hominem.*

Arbor Porphyriana.

Tria hæc prædicabilia clarius eluceſſent ſi arborem illam, quam vocant Porphyrianam, iſtis ſubiunxero.

Subſtantia.

Incorporea *Spiritus.*	Corporea *Corpus.*

Corpus

Compoſitum *Compoſitum.*	Simplex *Elemẽtũ.*

Compoſitum

Animatum *Animatum.*	Inanimatum *Lapides.*

Animatum

Senſile *Animal.*	Inſenſile *Planta.*

Animal

Rationale *Homo.*	Irrationale *Brutum.*

Homo.

SOCRATES | PLATO | CICERO

In hac ſerie *Subſtantia* eſt ſummum genus, *Homo* eſt ſpecies infima; *Corpus, Compoſitum, Animatum, Animal,* ſunt genera ſubalterna; *Incor-*

Incorporea, Corporea, Compositum, Simplex, Animatum, Inanimatum, Sensile, Insensile, sunt omnes differentiæ genericæ, *Rationale & Irrationale* specificæ, vtræque verò pro diuersa ratione & divisivæ esse possunt & constitutivæ: *Socrates, Plato, Cæsar,* sunt individua, sic dicta quod vlterius dividi nequeunt.

Quid Proprium. Proprium est quod omni soli semper & convertibiliter accidit subiecto, *vt risibile homini:* Accidit omni, id est omni individuo, & soli, hoc est, soli speciei, & semper scilicet quoad potentiam; licet enim homo semper actu non ridet, potest tamen ridere, si aliquod lepidum obijciatur; denique necessariò & convertibiliter accidit, quia fluit à principijs essentialibus speciei materia scilicet & forma totius compositi, vt *risibilitas ab anima rationali cum corpore humano vnita.*

Quid Accidens. Accidens est quod potest adesse & abesse sine subiecti interitu, *vt albor à pariete.*

Divisio eius.

Duplex est { Separabile quod actu potest separari, *vt calor ab aqua.* Inseparabile, quod non reipsa sed intellectu solùm separatur, *vt candor à cygno.* }

Aliàs etiam dividitur Accidens in Prædicabile & Prædicamentale.

Accidens prædicabile est quod contra distinguitur Proprio, *sic risibile est proprium sed non accidens.* Prædicamentale est quod opponitur Substantiæ, sic omnia prædicamenta, Substantiâ solùm exceptâ, sunt accidentia, & in hoc sensu proprium dicatur Accidens, id est, non substantia.

Finita iam de prædicabilibus tractatione, ipsa

ipsa prædicamēta sequuntur enucleanda, prælibaris solùm quibusdam ad cognitionem prædicamentorum necessarijs, quæ obinde ab Aristotele vocantur Ante prædicamenta & proximo in loco intercedunt pertractanda.

CAP. IIII.

De tribus definitionibus.

TRactatus de prædicamentis in tres partes diuiditur, quarum prima agit de Antepraedicamentis, secunda de Prædicamentis ipsis, vltima *De post prædicamentis* de singulis suo ordine.

Antepradicamentum quid.

Antepraedicamentum est prooemiale documentum valens ad cognitionem prædicamentorum à priori.

Quot sunt antepradicamenta.

Tria in genere, septem in specie sunt antepraedicamenta { Definitiones tres. Diuisiones duæ. Regulæ duæ.

Æquiuocorum denominatio.

Prima definitio est Æquiuocorum, quæ hunc in modum ab Aristotele definiuntur, Æquivoca seu Homonymia sunt, quorum nomen solum est commune, sed ad illud nomen accommodata definitio alia est atque alia, *quemadmodum Canis.*

Æquiuoca duplicia.

Æquivoca sunt duplicia { Æquivocantia, nomina scilicet communia, vt *Canis.* Æquiuocata, quæ sunt res per illa nomina significatæ, vt *Canis marinus, cælestis, domesticus.*

Æquivoca verò hoc in loco definita sunt æquivocata, quæ ab vno æquiuoco æquiuocante vt à nomine communi dependent.

Ad æquivoca ficut ex definitione colligitur tres requiruntur conditiones. Prima est vt vnum habeant nomen commune, id est, vt æquivoca in vno æquivoco æquiuocante conueniant; Secunda vt diuersa sit æquivocatorum definitio & diuersus conceptus; Tertia vt illa æquivocatorum definitio ad æquivocum æquiuocans applicetur, & illius ratione dicatur diuersa. v. g. *Canis marinus & domesticus*, in vno communi nomine conveniunt quod ambo vocantur *Canes*; sed diuersas sortiuntur definitiones & conceptus; ille enim est *Canis qui extra aquas*, *hic qui intra aquas degere non potest*; & licet ambo ratione alicuius tertij dicantur vnivoca, & eandem sortiantur definitionem, *vt ratione animalis vterq; dicatur corpus animatum sensile*, hæc tamen definitio non est ad idem nomen accommodata, scilicet ad æquivocum æquivocans, *Canem*.

Tria ad æquivoca requiruntur.

Notandum autem est quod æquivocatio semper sumenda est respectu rerum verè existentium. Nam si latiùs extendatur ad res apparentes, fictas aut pictas, quodlibet vocabulum erit ambiguum; nihil enim enim est quod non fingi potest aut pingi.

Nota.

Secunda definitio est Vnivocorum. Vniuoca autem sunt quorum & nomen commune est & ad illud nomen accommodata definitio est eadem; sic *homo & bos* in vno communi nomine conueniunt, quod ambo appellantur *animalia*, eandemque definitionem habent ad vnivocum vnivocans applicatam, *quia brutum est Corpus animatum sensile, non aliter quam homo.*

Definitio vniuocorum.

Vniuoca duplicia.

Vnivoca sunt duplicia. { Vnivocantia, nomina scilicet communia, *vt Animal.* Vnivocata, quæ sunt res significatæ, *vt homo brutum.* }

Æquivoca & vnivoca in eo conveniunt, quòd ambo habent vnum nomen commune: sed differunt quod æquivocorum solum nomen commune est, vnivocorum vero tum nomen tum definitio.

Analoga.

Inter æquivoca & vnivoca media sunt Analoga, quippe quæ nec plane eandem, vt vnivoca, nec prorsus diuersam vt æquivoca definitionem sortiuntur, sed naturam suam secundum prius & posterius analogatis communicant: *sic Ens de Substantia dicitur & ratione Substantia de Accidente, sic sanitas medicina, vrina, & animali attribuitur*, cuius illa quidem causa, ista signum, hoc verò subiectum dicitur.

Definitio denominatiuorum.

Tertia definitio est Denominativorũ. Denominatiua verò dicuntur quæcunque ab aliquo ita vt casu differunt, nominis appellationem habent, *vt à fortitudine fortis.*

Duo ad denominatiua requiruntur.

Ad denominativa duo requiruntur, primò vt ab aliquo nomine appellationem habeant, id est, vt ab aliquo vocabulo deriventur, secunda vt ab eodem nomine, casu, hoc est, vltima seu finali syllaba, differant, *vnde Grammatica ars & Grammatica mulier non habentur denominatiua*, quia casu non differunt & proinde inter æquivoca sunt enumeranda.

Denominatiua triplicia.

Denominativa sunt triplicia. { 1. Re tãtùm, *vt virtus & studiosus.* 2. Voce tantùm, *vt vinum & violentem.* 3. Re & voce simul, *vt vinum & vinosus:* quæ sola in præsentiarum definiuntur. }

Ad

Ad omnem denominationem tria requiruntur, Nomen Substantivum quod vocant denominans. Nomen Adiectivum, quod est denominativum. Subiectum, quod vocatur denominatum: vt quando dicimus *Cæsar & iustus. Cæsar* est denominatum, *Iustus* Denominativum, *Iustitia* denominans, quæ *Cæsari* inhærens facit vt ipse iustus denominaretur.

Tria ad denominationem requisita.

CAP. V.

De duabus divisionibus.

DVæ sunt divisiones, vna vocum, altera rerum.

Vox dividitur, in { Incomplexam que sine coniunctione effertur, *vt homo, vincit.* Complexam quæ ex simplicibus constatur, *vt homo vincit.* }

Prima divisio vocum.

Tribus modis vox Complexa & incomplexa dicitur vel { Re tantùm. Voce tantùm. Re & voce simul. }

Tribus modis vox complexa & incomplexa dicitur.

Vox illa quæ sub vno nomine plures significationes cõplectitur, est voce tantũ simplex re tantùm complexa, vt *Canis* licet sit voce simplex, res tamen plures in ea voce latent.

Cum plures voces ad vnam rem simplicem exprimendã coniunguntur ob defectum proprij nominis vox est re simplex & voce tantum complexa, vt *corpus animatum.*

Quando simplex dictio rem simplicem significat, vocatur vox re & voce simplex, *vt homo* Re & voce complexa est, cum plures voces ad multas res significandas destinantur.

tur, vt *Labor omnia vincet. Index est animi sermo.* Estque vel { Distans. Indistans.

Distans est cuius extrema copulâ verbali vel coniunctionali vniuntur, *vt Homo est animal.*

Indistans est cuius extrema componuntur, vt determinatum & determinabile; vt *Homo iustus.*

Nota. Ex omnibus complexis, complexum voce tantùm in prædicamentis reponitur: ex omnibus incomplexis, incomplexum voce tantum excluditur.

Quadruplex diuisio rerum. Res omnes sunt, vel { Substantiæ, Accidentia } vtraque vel { Vniuersalia. Particularia.

1 Vniuersales substantiæ, dicuntur de subiecto, sed non sunt in subiecto; *vt homo de Socrate & Platone dicitur, sed nulli subiecto inhæret.*

2 Particularis substantia, nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto, quia est indiuidualis substantia, vt *Socrates.*

3 Vniuersalia accidentia dicuntur de & sunt in subiecto, vt *albedo de hac & illa albedine dicitur, & homini, parieti, aut naui inest.*

4 Particulare accidens, de subiecto nullo dicitur, sed in aliquo est; *vt hæc albedo in Socrate.*

Inesse in subiecto. Illud verò in subiecto esse dicitur quod cum in aliquo non quasi pars sit, non tamen potest esse sine eo, cui inest.

Tres inessendi conditiones. In qua definitione tres ordine continentur inessendi conditiones. Prima est, vt in aliquo insit, id est, vt inhæsiuè sit in subiecto, & non ratione intentionis, vt *res est in fine*, qui inten-

intenditur, nec ratione gubernationis, *vt rex in regno:* nec ratione locationis, *vt locatum in loco.* Secunda, vt non sit eius pars, vnde *nec genus in specie, nec species in genere propriè inesse dicatur*; quia illud est speciei pars materialis vicem materiæ supplens hæc generis pars subiectiua & ipsi subordinatur. Tertia, vt non possit esse sine eo cui inest; *vnde vestes & arma propriè corpori non insunt*, quia esse possunt corpore sublato.

Octo sunt inessendi modi his versiculis comprehensi. *Modi inessendi 8.*

Insunt, 1 Pars, 2 Totum, 3 Genus, 4 Species, 5 Calor igni,
6 Rex in regno, 7 Res in fine, 8 locoque locatum.

Ex his omnibus modis ille solùm est intelligendus, qui est; *vt calor in igne*, id est, inhæsiuè vt accidens in subiecto; reliqui omnes contra vnam aut alteram ex dictis inessendi conditionibus offendunt.

Præterea operæ pretium est notare quòd duplex est subiectum, vnum Prædicationis, alterum inhæsionis. Subiectum prædicationis est quod alicui vniversali subijcitur; sic *homo animali animal corpori, corpus substantiæ subordinatur*. Subiectum inhæsionis est, quod accidenti alicui subijcitur, vt sustentaculum quo suffulcitur; sic *albedo est in pariete*, à pariete enim sustentatur, ipsoque absumpto consumitur eadem albedo. *Subiectum duplex.*

Vbicunque vero in dicta rerum diuisione inueniuntur hæc verba [*Dicuntur de subiecto*] intelligendum est subiectum prædicationis: vbi autem illa verba [*sunt in subiecto*] subaudire debemus subiectum inhæsionis. *Nota.*

CAP.

CAP. VI.

De duabus regulis.

DVæ sunt regulæ, quarum prima est.

Reg. 1. Quodcunque dicitur de prædicato, idem dicatur de subiecto; vt *si Socrates sit homo*, & *animal, de homine dicatur, vt etiam de Socrate prædicetur necessum est.*

Multæ sunt huius regulæ limitationes, inquas istæ notatu dignissimæ.

Exceptiones. Primò vt non sit progressus à vocibus ad res, id est, à vocibus primæ ad voces secundæ intentionis; vnde non sequitur, *Animal est genus, Homo est animal*, ergo, *Homo est genus.* Secundò, vt non sit transitus ab vno latere seriei prædimentalis ad aliud latus, vnde non sequitur; *Homo est animal, Animal est vel rationale, vel irrationale*, ergo, *Homo est vel rationalis, vel irrationalis.*

Tertiò, vt non procedatur à concreto ad abstractum, vnde non sequitur, *Homo est iustus, Iustitia est qualitas*, Ergo, *Homo est qualitas.*

Reg. 2. Secunda regula antepraedicamentalis in duas partes distrahitur. Prima est, Diuersorum generum non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ: *sic species & differentiæ. Qualitatis diuersæ sunt à speciebus, & differentiis Substantiæ aut Quantitatis.* Secunda est, Generum subalternatim positorum, nihil prohibet easdem esse species & differentias, *sic Corporea est differentia corpus constituens, quæ corpori composito animato, sensibili attribuitur, quia hac omnia ipsi subordinantur.*

Cap. VII.

De Prædicamentis in genere.

ABsolutis anteprædicamentis ad ipsorum pædicamentorum tractationem perveniendum est: perspectâ primò generali eorum naturâ, vt quid postea de singulis sit dicendum cognitum habeamus.

Prædicamentum est vocum res simplices exprimentium ordinata quædam series.

Prædicamentum Quid.

Ex hac definitione constat, quòd res & voces ad seriem prædicamentalem constituendam simul conveniunt. Res enim vt sunt res apud Logicos non considerantur, sed quatenus sunt vocum fundamenta; sic corpus naturale in Substantia ponitur, & in illius serie consideratu, sed non vt ex principijs, materia scilicet aut forma constet, nec vt affectiones habeat in motu nimirùm, in loco, in tempore esse, sed vt est fundamentum secundæ intentionis, seu vt est Genus quod per differentias divisiuas potest diuidi. Vt enim Medico oculum curaturo necessarium est aliquam licet non exquisitam oculi cognitionem habere;ita in Logico requiritur, vt tantam rerum cognitionem haberet, quanta sufficeret ad notiones secundas super easdem fundandas & stabiliendas.

Quomodo res & quomodo voces in serie prædicamentali reponuntur.

Quodcunque verò in serie prædicamentali reponitur est ens reale & positivum, simplex & per se vnum, vniversale, completum, finitum, voce distincta ac certa significatum.

Quæ collocanda sunt in serie prædicamentali.

Hinc excluduntur.

Quæ excludenda.

Vox artis, consignificans, priuatio, fictum,
Pars, Deus, excedens, complexum, seu polysemon,
Ista Categoriis non possunt verba locari.

Excluditur Vox Artis quia est notio secunda seu ens rationis, quod nobis non cogitantibus non existit, vt *Zodiacus, Genus, Prædicamentum.*

Deus, quia propter suam eminentiam sub genere non est, & differentia constituente caret, ita vt magis sit supra seriem, quàm in serie.

Consignificans, quod nihil certi significat, vt sunt aduerbia, nomina partitiua, interrogatiua, vniuersalia, & particularia signa, *vt omnis, aliquis, quidam, nullus.*

Priuatio, quia non donotat ens positiuum, sed rei absentiam, *vt tenebræ.*

Fictum præcipuè impossibile, quod nihil in rernm natura ponit.

Pars præsertim essentialis & integralis, quia non sunt entia completa.

Excedens seu transcendens, quia per omnia prædicamenta peruagatur, vt *Ens, aliquid, vnum, bonum, verum.*

Complexum re & voce simul, quia vnam rem simplicem non significat, *vt homo albus.*

Polysemon seu æquivocum ante factam distinctionem, vt *Canis.*

Rerum collocatio in prædicamentis.

Obseruandum est denique quod ex ijs quæ in serie prædicamentali reponuntur, quædam sunt κατὰ βάθος, quædam κατὰ πλάθος. id est, quædam in serie directa, *vt genera & species,* quædam collateraliter, *vt differentiæ,* collocantur, quædam etiam propter

ter indiuisibilitatem naturæ in serie propriè non sunt, sed veluti graduum bases & statumina substernuntur, vt Individua omnia quæ perfectè nec diuidi possunt nec definiri.

Prædicamentorum numerus. Decem ab Aristotele ennmerantur prædicamenta seu rerum capita, nec datur ens aliquod finitum & completum quod sub vno horum non comprehenditur.

Horum vnum est substantiæ, Substantia vulgò dictum, nouem vero accidentis, 1 Quantitas, 2 Qualitas, 3 Actio, 4 Passio, 5 Relatio, 6 Vbi, 7 Quando, 8 Situs, 9 Habitus.

Singulorum exempla sunt hoc disticho inclusa. 1. Arbor, 2 Sex, 3 seruos, 4 feruore, 5 Refrigerat, 6 Vstos.

7 Ruri, 8 Cras, 9 Stabo, nec 10 Tunicatus, ero.

Diuisio. Ex his quædam sunt Absoluta prædicamenta, quæ obinde vocantur Principalia, & sunt tria, Substantia, Quantitas, Qualitas; cetera septem sunt minùs Principalia, quia notant respectum aliquem inter duas res, vt Relatio quæ connotat respectum inter Relatum, & correllatum; Actio & Passio, quæ resultant ex vnione alicuius qualitatis cum substantia; Vbi & Quando, quæ oriuntur ex substantia considerata cum circumstantiis Loci & Temporis; Situs qui fit ex respectu partium ad totum: Habitus, qui procedit ex applicatione integumenti ad corpus.

CAP.

CAP. VIII.

De Substantia.

Substantia definitio.

INter prædicamenta prima ſemper obtinuit Subſtantia, quòd omnium accidentium eſt fundamentum.

Subſtantia verò definitur ens per ſe ſubſiſtens accidentibus ſubiectum; *Vt homo*, qui nulla re niſus, albedinis, virtutis; & id genus aliorum accidentium eſt fundamentum.

Eius diuiſio.

Subſtantia eſt duplex, Prima, vel Secunda.

Subſtantia prima.

Subſtantia prima, quæ maximè & propriè ſubſtantia dicitur, eſt, quæ nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto; non eſt in ſubiecto, quia eſt ſubſtantia, nec dicitur de ſubiecto, quia eſt indiuiduum, vt *Socrates, hac arbor*.

Cur ita dicta.

Indiuidua enim primæ ſubſtãtiæ dicuntur duplici de cauſa, primò, quia ſubſtant reliquis omnibus rebus, ſiue ſint accidentia quæ de eis inhærent, ſiue ſecundæ ſubſtantiæ, quæ de ipſis prædicantur & in ipſis exiſtunt; ſecundò quia ſingularia primò feriunt ſenſus, priùs enim *Socratem* videmus quàm *hominem*, primariò enim & per ſe Indiuidua agunt & ſentiuntur.

Subſtantia ſecunda.

Secundæ ſubſtantiæ ſunt primarum genera & ſpecies, vt *Homo, Corpus, Animal:* & ideò vocantur Secundæ, quia ſecundo loco vi intelligentiæ noſtræ ex primis colliguntur: videndo enim *Socratem, Platonem* & alios particulares homines, quid homo illorum ſpecies ſit ſtatim colligimus.

Quare ſic appellata.

Nota.

Inter ſecundas verò eæ magis ſubſtantiæ dicuntur, quæ primis ſunt viciniores, vt Species ſuis generibus. Pro-

Proprietates eius ſex ſunt.
Subſtantia non eſt in ſubiecto, nimirùm 1
inhæſionis: ſic enim duo corpora eſſent in *Proprietas.*
eodem loco. Meliùs nullo modo hæc pro-
prietas exprimi poteſt, quàm ſupponendo
hominem per fores clauſas & non cedentes
penetrare potuiſſe, quod ſi fieret, duo corpo-
ra in ipſo tranſitu eodem loco comprehen-
derentur.

Secundæ ſubſtantiæ & earum differentiæ,
vnivocè de primis prædicantur. *Vniuocè vero* 2
prædicari] eſt attribui primis & ſecundum *Proprietas.*
nomen, & nominis rationem, *ſic Animal, &*
quod animal conſtituit ſenſile, de Socrate prædi-
catur, & ſecundum nomen, quia Socrates eſt a-
nimal, & nominis rationem: quia Socrates eſt
corpus animatum ſenſile, quæ eſt animalis defi-
nitio.

Omnis ſubſtantia videtur ſignificare hoc 3
aliquid. Hoc ſingularitatem, Aliquid ſub- *Proprietas.*
ſtantiam ſignificat, ita vt ſenſus ſit, Omnis
ſubſtantia ſingularem, & ſubſtantialem eſ-
ſentiam deſignare videtur; quod quidem
reuerâ cernitur in primis ſubſtantijs. Nam
Socrates ſingularem ſubſtantiam denotat, & ſo-
lùm videtur eſſe in ſecundis, quatenus nimi-
rum de primis prædicantur; vt *quando dico So-*
crates eſt homo; Homo quodammodo Socratem
& ita ſingularem ſubſtantiam ſignificare vide-
tur.

Subſtantiæ nihil eſt contrarium. Non re- 4 5
cipit magis aut minus. Vtræque hæ proprie- *Proprietates.*
tates ſunt intelligendæ de ſubſtantia quoad
eius eſſentiam, & non ſecundum qualitates
ipſi inhærentes. *Ignis enim aquæ contrariatur*
& hæc aqua illâ magis minusq́; calida dicitur,

sed hoc accidit propter calorem & frigus in subiectis, & non ratione ipsorum subiectorum, quæ nunquam sibi inuicem contrariantur.

6 *Proprietas.* Substantia vna & eadem numero permanens est contrariorum susceptibilis, id est, Quamuis substantia nihil habet sibi contrarium, in se tamen successiuè; in gradibus intensis; aut simul in remissis, eadem recipere potest, quatenus est eorum fundamentum; *sic eadem aqua quæ nunc valdè calida est, statim erit frigida.* *Exceptio.* Excipiendæ verò sunt illæ substantiæ, quæ vnam qualitatem naturaliter impressam habent, *vt ignis cum naturaliter sit calidus, nunquam frigidus esse potest.*

Sub-

Substantia series prædicamentalis.

Substantia,

Corporea, Incorporea seu spiritus, cuius duæ sunt species,

- *Intelligentia cuius ordo est,*
  - 1 *Seraphin.*
  - 2 *Cherubim.*
  - 3 *Thronus.*
  - 4 *Potestas.*
  - 5 *Dominatio.*
  - 6 *Virtus.*
  - 7 *Principatus.*
  - 8 *Archangelus.*
  - 9 *Angelus.*
- *Anima*
  - 1. *Vegetatiua,*
  - 2. *Sensitiua,*
  - *Rationalis.*

Corpus,

Corruptibile Incorruptibile siue orbes cælestes.

- 1 *Cælum empyræum.* 2 *Primum mobile* 3 *Cælum Chrystallinū.* 4 *Firmamentū.* 5 *Cælum Saturni.* 6 *Iouis.* 7 *Martis.* 8 *Solis.* 9 *Veneris.* 10 *Mercurii.* 11 *Luna.*

Corruptibile.

Animatum, Inanimatum quod est vel

- *Elementum*
  - *Ignis, Aeris.*
  - *Aqua, Terra.*
- *Mineralia*
  - *Lapides, vt Marmor*
  - *Metalla, vt Aurum*
  - *Mediū, vt Sulphur.*

Animatum,

Sensile, Insensile seu Planta quarum tres sunt species.

- *Arbor, vt Cerasus, Laurus.*
- *Frutex, vt Myrtica, Arundo,*
- *Herba, vt Nasturtium, Beta.*

Animal,

Rationale, Irrationale, vt Bestia, quæ est vel

- *Volatilis, vt Auis.*
- *Gradiens, vt Equus, Leo.*
- *Aquatilis, vt Halec.*
- *Reptilis, vt Vipera.*

Homo,

Socrates — Plato — Cato — Cæsar

Nulla datur substantia completa, quæ non in hac serie continetur Incompletæ verò substantiæ, cuiusmodi sunt partes omnes, *vt Manus, Pes, Caput, Ramus,* non directè sed reductiuè hîc collocantur, quatenus scilicet ad suum totum reduci possunt ; *vt Pes ad animal gradiuum, & Ramus ad arborem vegetantem.*

CAP. IX.

De Quantitate.

Quantitatis definitio.

QVantitas est secundum quam aliquid quantum aut quotum dicitur. Res enim omnes ob magnitudinem quantæ, ob multitudinem quotæ dicuntur ; *Sic ob superficiem campus amplissimus, ob numerum ingentem exercitus copiosius appellatur.*

Aliàs etiam definitur Quantitas, Accidens quod substantiæ communicat, vt in partes diuidi possit. Quum verò partes sunt duplices, discretæ, vel continuæ, hinc nascitur prima Quantitatis diuisio in Continuam & Discretam.

Prima diuisio Quantitatis.

Quantitas continua est cuius partes communi termino copulantur. Terminus verò communis est, qui duo connectit, quorum vnius extremum est, initiumque alterius.

Quantitatis continuæ quinque species.

Quinque sunt species quantitatis continuæ.
- 1. Linea.
- 2. Superficies
- 3. Corpus.
- 4. Tempus.
- 5. Locus.

Cuius partes
- Puncto.
- Linea.
- Superficie.
- Nunc.
- Superficie.

tanquã termino communi copulantur.

Linea

Linea est longitudo, latitudinis expers, cuius extrema sunt duo puncta. *Linea.*

Superficies est quæ longitudinem & latitudinem tantùm habet, cuius extrema sunt lineæ, Veræque hæ species more Mathematicorum sunt intelligendæ, non de lineis pictis, sed verè existentibus, animi tantùm, non corporis oculis conspicuis. *Superficies.*

Corpus lõgitudinem, latitudinẽ, & profunditatem habet, eiusq; extrema sunt superficies. *Corpus.*

Locus est, superficies cõcaua corporis ambiẽtis, *sic turris locus est aer, piscis locus est aqua.* *Locus.*

Tempus est spacium ex solis cœlique, hoc est, astrorum vertigine collectum: *sic dies est spacium illud, in quo Sol ab Oriente in Occidentem rapitur.* *Tempus.*

Discreta quantitas est, cuius partes separatæ sunt & disiunctæ, nulloque communi termino copulantur. Eius duæ sunt species, Numerus, Oratio. *Discretæ quantitatis species.*

Numerus est vnitatum multitudo, *sic quatuor est multitudo quatuor vnitatum,* quæ nulla connexione vniuntur. *Numerus.*

Oratio est mensura literarum & syllabarum, secundum longitudinem, & breuitatem, Est quantitas, quia mensurat, & discreta, quia litteræ & syllabæ distinctè pronuntiantur, vt ho-mo A-ni-mal. *Oratio.*

Hæ duæ quantitatis species rursus subdividuntur in Quantitatem { Habentem / Non habentem } Partium positionem. *Secunda diuisio Quantitatis.*

Tria verò requiruntur vt quantitas habeat partium positiomem, primò vt partes termino communi copulentur, *vnde Numerus, & Oratio excluduntur, quia sunt discreta* quantitates; *Quæ requiruntur ad partium positionem.*

tates; secundò vt sint alicubi sitæ, ita vt digito demonstrari possint; tertiò vt simul sint ac permaneant; *Per vtrasque conditiones* oratio & tempus *amandantur quod propter perpetuum suum fluxum, nec situm habeant nec permanentiam*; Restat igitur quòd quatuor sint species quantitatis partium positionem habentis, 1. Linea. 2. Superficies. 3. Corpus: 4. Locus; tres non habentis. 1. Numerus. 2. Oratio. 3. Tempus.

Nota. Qualitates aliquando quantitatis nomen sortiuntur; vt *Platonem magnum Philosophum, Archimedem magnum Mathematicum vocamus*, sed quantitates quas prius nominauimus sunt per se, hæ solùm ex accidenti.

Tres sunt proprietates Quantitatis.

2 Non recipit magis & minus; *ita gigas licet sit Pygmæo maior ratione corporis non tamen est magis Quantitas, quam Pygmaus equè enim extenduntur, licet æqualem extensionem non habent.*

3 Istæ duæ proprietates Substantiæ cum Quantitate sunt communes; Maximè verò Quantitati proprium est, vt exinde res dicatur, æquales aut inæquales; *sic corpus bicubitum est tricubito inæquale, alteri vero bicubito æquale.*

Series Quantitatis.

- Quantitas est vel
  - Continua, estq; vel
    - Perfecta, vt *corpus quod trinas dimensiones habet.*
    - Imperfecta, quæ est vel
      - Longitudo tãtum, *vt linea.*
      - Latitudo tantùm, *vt superficies.*
  - Discreta cuius duæ sunt species
    - Numerus
    - Oratio.

Ad

Ad hanc seriem analogicè reduci possunt extensiones graduales; *vt calor calore maior vel minor dicitur*, & extensiones grauitatis, seu ponderositatis, quæ quidem magis intensiones reuerà dici debent.

Cap. X.
De Qualitate.

Qualitas est forma accidentalis, à qua subiectum denominatur Quale: *sic à grauitate lapis grauis, à velocitate equus velox appellatur.* *Qualitatis definitio.*

Qualitatis quatuor sunt species, Habitus, Potentia naturalis, Qualitas patibilis, Forma. Sed quia quælibet istarum specierum latitudinem habet, quatuor quasi gradus his speciebus adduntur, Habitui dispositio, Potentiæ Impotentia, Qualitati patibili Passio, Formæ Figura. *Eius diuisio.*

Habitus est qualitas perfecta & consummata, multis actionibus acquisita, vel diuinitùs infusa, quæ ita inhæret subiecto, vt propter firmitatem, & constantiam, non facilè permutetur contrario: *vt vera & acquisita dicendi scientia in Cicerone, aut pugnandi in Alexandro.* *Habitus.*

Habitus primò diuiditur ratione subiecti in Habitum corporis, *cuiusmodi est sanitas firma in corpore absolutè salubri, saltandi etiam & natandi experientia*, & in Habitum animi, *cuius generis sunt virtutes & disciplinæ omnes.* *Prima habitus diuisio.*

Secundò ratione adeptionis habitus & præsertim animi diuiditur in { Infusum. Acquisitum. } *Diuisio secunda.*

 In-

Infusus est, qui singulari Spiritus Sancti gratiâ infunditur in hominum mentes, vel extraordinariè, *vt doctrina in Apostolis, vel ordinariè vt fides in electis.*

Acquisitus est, qui crebris actionibus acquiritur *vt dicendi & disserendi peritia* & licet Spiritus Sancti gratia ad istum etiam requiritur, non tamen eo peculiari modo quo ad infusum.

Dispositio. Dispositio seu affectio est qualitas fluxa & transiens, quæ quia nondum penitùs fideliterque est infixa, excuti non ægrè potest: sic *cum quispiam rudi Minerua literas aut syllabas depingere potest, est in inclinatione ad scribendum, quum verò artificiose easdem queat exarare, habitum acquisiuit*; vnde habitus ætati virili, dispositio iuvenili comparatur, quod ille est dispositio perfecta, hæc habitus inchoatus.

Quomodo differt ab habitu.

Potentia naturalis. Potentia naturalis est qualitas naturaliter subiectis insita, quæ habilitatem conciliat, vt ad præstandas certas actiones, aut acquirendos habitus magis idonea habeantur; *vt bona valetudo, memoria tenax, ingenium acutum.* Et licet hæc potentia ad habitum requiritur, tanquam prævia quædam dispositio, & naturalis inclinatio; à dispositione tamen differt, quòd Potentia est quid insitum, & vi naturæ generatur; Dispositio est quid aduentitium & per aliquos actus acquiritur.

Quomodo differt à dispositione.

Diuisio potentia. Potentia duobus modis dividitur. Primò in { Actiuam. Passiuam.

Actiua. Actiua est, qua sumus ad agendum potentes *Sic ignis potentiam actiuam habet ad Vrendum, cultrum ad secandum.*

Passiua. Passiua est, quâ res aptæ sunt ad aliquid patiendum; *Sic molle potentiam habet vt secetur.*

cetur. Vti æque hæ potentiæ actu perficiuntur bifariam, vel scilicet cum in opus exeunt, *vt quando ignis vrit*, vel cum in habitum vertuntur; *vt quando puer discit literas.*

Secundò potentia diuiditur in { Primam. Secundam. — *Secunda diuisio.*

Prima est quæ proximè emanat è forma subiecti, vt *potentia loquendi in homine, sentiendi in brutis, illa ab anima rationali, hæc à sensitiua fluit.* — *Prima.*

Secunda est dispositio organi & temperamenti, per quam potentia illa prima in actum producitur, atque hæc omnibus non æqualiter communicatur, sicut illa prima; *Luscus enim propter organi debilitatem non tam clarè videt, quàm qui magna acie est præditus, licet vterq; primam potentiam æqualiter sortitur.* — *Secunda.*

Impotentia est imbecilitas facultatum naturalium in substantijs, siue animatæ sunt, siue inanimatæ; vt *Sterilitas in agro, stupiditas in homine.* — *Impotentia.*

Qualitas patibilis est quæ infert passionem sensui; *Ita tactus frigore & calore, molli & duro afficitur; visus coloribus, auditus sonis, sapore gustus, odore olfactus.* — *Qualitas patibilis.*

Passio est subita animi commotio ex qua oritur calor sensum afficiens; *vt rubor quo vultus ex verecundia suffunditur:* Differt à patibili qualitate, quia non est stabilis & permanens, *vt candor in pariete:* sed qualitas citò amota; *vt pauor ex metu.* — *Passio.*

Figura est terminatio qualitatis, quæ termino aut terminis clauditur; *vt Circulus, Triangulus, Quadratum.* — *Figura.*

Forma est constitutio membrorum, & partiũ in ipsa figura, sub sensum videndi cadens; — *Forma.*

membrorum quidem in animalibus, *vt in homine, aut leone*; partium in reliquis corporibus; *vt forma pyramidis, aut Amphitheatri.*

Vel vt alij planius definiunt. Forma est coloris totius corporis, inprimis verò faciei suauitas. Figura est lineamentorum seu partium corporis, optimus situs. *Sic Æthiops benè figuratus esse potest, sed non valdè formosus, Anglus etiam formosus satis, sed malè figuratus.*

Proprietates eius sunt tres,

1 Sola qualitas propriè & per se contrarietatem recipit; *Sic calidum frigido, album nigro contrariatur.*

2 Qualia magis & minùs recipiunt, id est Qualitates in subiectum suum non in instanti, sed paulatim & per gradus ingrediuntur; *vt aqua primo teporē, inde calorem vltimo feruorem recipit*; vnde non ipsa qualitas, sed potiùs qualitatis receptio dicitur esse secundum magis & minùs.

Vtræque hæ proprietates soli, sed non omni qualitati conueniunt. Potentiæ enim naturales, & Figura, nec contrarietatem, nec gradus recipiunt. Patibiles qualitates etiam contrariantur, sed non omnes; medijs enim coloribus nihil reperitur contrarium.

3 A qualitate res dicuntur similes aut dissimiles, sicut à quantitate æquales aut inæquales; *Sic qui eodem colore imbuti sunt, similes, qui diuerso, dissimiles appellantur.*

Series

Series Qualitatis.

Qualitas vel

- Sub sensum non cadit, ut
  - Habitus qui est, vel
    - Animi, estque vel
      - Infusus
        - Ordinarie ut
          - Fides.
          - Spes.
          - Charitas.
          - } In omni fideli.
        - Extraordinarie, ut donum
          - Miraculorum
          - linguarum
          - } In Apostolis.
      - Acquisitus qui
        - Appetitum ut Ethica,
        - Intellectum ut Physica.
        - } dirigit.
    - Corporis, estque vel
      - *Infusus*, *ut* Sanitas ex miraculo.
      - *Acquisitus* *ut* Sanitas ex medicina.
  - Potentia quæ est, vel
    - Manifesta in
      - Inanimatis.
      - Animatis.
    - Occulta quæ fit, vel per
      - Ἀντιπάθιαν.
      - Συμπάθειαν.
- Sub sensum cadit ut
  - Patibilis qualitas quæ facit pati, vel
    - *Auditum, ut* Sonus.
    - *Visum, ut* Color.
    - *Gustum, ut* Sapor.
    - *Tactũ, ut* Qualitates tactiles.
    - *Olfactum, ut* Odor.
  - Figura quæ est, vel
    - Naturalis à natura data.
    - Artificialis ab artifice introducta, estque, vel
      - Plana, ut
        - Curuilinea.
        - Rectilinea.
      - Solida, ut
        - Sphæra.
        - Pyramis.
        - Cubus.

CAP. XI.

De Relatione.

Relatorum diuisio.

RElata sunt duplicia, vel { Propria, seu secundum Esse. Impropria, seu secúdum Dici.

Relata secundum dici.

Relata secundum dici sunt, quæ ad se inuicem modo quopiam sunt affecta, quorum vno existente, non necesse est alterum sequi; *Sic Scientia ad scibile refertur; scibilia enim multa in primordio mundi extiterunt, priusquam creabatur homo qui ipsa sciret.*

Relata secundum esse.

Relata secundum esse sunt, quorum totum esse in respectu consistit: & quorum vno existente & cognito, alterum necessariò existit & cognoscitur: *Sic pater sine filio, vt pater, nec existit, nec cognoscitur.*

Quomodo inter se differunt.

Duobus modis relata secundum Dici differunt à relatis secundum Esse, primo quod illa habent essentiam aliquam absolutam in alio prædicamento; *Sic scientia est in qualitate, sectio in Actione, licet illa ad scibile, hac ad secabile referatur,* hæc vero totum suum esse in relatione habent; *Pater enim nihil est, nisi ad filium referatur:* Secundò relato secundum Dici cognito, non necessariò cognoscitur eius correlatum; *sensilia enim multa sunt in terra visceribus qua sensum ad quem referuntur non feriunt;* existente verò & cognito vno relato secundum Esse, necessariò cognoscitur eius correlatum *neminem enim Patrem, neminem Dominum vocamus, nisi quem seruos, aut filios, habere certò scimus.*

Ad

Ad relationem tria præcipuè requiruntur, 1. Fundamentū, cui relatio innitatur. 2. Terminus duplex, Relatum & Correlatum. 3. Relatio seu respectus quidam inter illos terminos; *Sic homo est fundamentum. pater & filius sunt duo termini relatiui: paternitas, & filiatio, sunt relationes inter eos terminos.* *Quæ requiruntur ad relationem.*

Proprietates relatorum sunt quatuor.

1 Relata dicuntur ad conuertentiam, id est, Cuilibet relato suum correlatum ita respondet, vt vnum possit dici alterius; *vt scientia est scibilis scientia, & scibile est scientiæ scibile: pater est filii pater, & filius est patris filius.*

2 Relata recipiunt magis & minùs.

3 Relata recipiunt contraria. *Sic virtus, quæ ad studiosum refertur, vitio contrariatur, & amicitia Pyladis & Orestis minor fuit, quam Iohannis & Petri Apostolorum.* Sed istæ duæ proprietates nouissimè nominatæ, neque omnibus relatis competunt; nihil enim contrariatur *duplo & dimidio*: nec solis, quia conueniunt etiam Qualitati; nec relatis vt sunt relata, sed vt qualitate fundantur, *Sic enim scientia ignorantia contrariatur, vt est habitus, sed non vt ad scibile refertur.*

4 Relata simul sunt naturâ. *Simul vero natura dicuntur,* quæ Posita se ponunt, & perempta se perimunt invicem, & quorum alterum non est alterius causa, sic *Posito patre ponitur filius, nec pater vt pater est filii causa, sed vt homo.*

Prima proprietas vtrisque relatis conuenit; secunda, & tertia solùm relatis secundum dici; quarta solùm relatis secundum esse.

Series

Series Relationis.

Relata sunt vel secundum
- Dici, quæ propre ad hoc prædicamentum non spectant.
- Esse quæ diuiduntur vel
  - Secundum fundamentum & ita quædam fundantur vel in
    - Quantitate; vt *æquale & inæquale.*
    - Qualitate; vt *Simile & dissimile.*
    - Substantiâ; vt *Pater, & Filius.*
  - Secundũ terminos & sic sunt vel relata.
    - Æquiparantiæ quorũ termini sunt eiusdem dignitatis vt *Simile, Æquale.*
    - Disquiparantiæ, quorum vnum alterum superat; vt *Pater & Filius, Dominus & Seruus.*

CAP. XII.

De Actione & Passione.

Actio.

ACtio est vis agentis in passum, secundum quam in id, quod subijcitur agere dicatur, vt *calefactio, frigefactio.*

Quæ ad actionem requiruntur.

Quatuor ad omnem actionem requiruntur. Primo agens vt, *ignis*, secundò qualitas secundum quam agit, vt *calor*, tertiò patiens, vt *aqua*, quartò actionis receptio, vt *ingressus caloris in aquam.*

Actio est duplex vel
- Transiens, quæ immutationem extrinsecus adfert, & est propriè huius considerationis, vt *cum ignis aquam calefacit*.
- Imminens, quæ in eodem subiecto, quo excitata est, terminatur, vt *volitio, intellectio, sensatio*.

Actio duplex.

Proprietates eius sunt tres,

1 Actio omnis passionem infert.

2 Actio recipit magis & minus.

3 Actio recipit contraria.

Sed istæ duæ posteriores proprietates actioni per se non insunt, sed per & propter Qualitates; *Calefactio enim & frigefactio contrariantur, quia calor & frigus sunt contraria qualitates, & aliud alio magis minusue calefacit, prout magis minusue calet.*

Series Actionis.

Series Actionis.

Actio diuiditur, vel ratione
- Modi secundū quē agit, & ita est vel
  - Imminens.
  - Transiens.
- Causæ & est vel
  - Naturalis, & huius tot sunt species, quot sunt potentiarum naturalium
  - Voluntaria
    - Corporis, vt *saltatio, natatio, &c.*
    - Animi quæ est vel
      - Intellectus.
      - Voluntatis

Passio est actionis receptio, vt *calefieri, frigefieri.*

Passio.

Est duplex vel
- Transmutatiua, cum realis aliqua mutatio sit in patiente, vt *cum aqua calefit*; hæc *transeunti* actioni respondet.
- Intentionalis cū nulla fiat euidens mutatio, vt *visio*, hæc *imminenti* respondet.

Passionis diuisio.

Hæc

Quomodo a passione in Qualitate differt. Hæc passio ab illa in qualitate differt, quia hæc est receptio & introductio Qualitatis, illa est qualitas recepta & introducta, licet hoc permanens.

Nota. In vtroque prædicamento notandum, quòd quædam vocabula, & figurâ vocis, & terminatione, vim habent actionem aut passionem significandi, vt *docere, & doceri, scribere & scribi*; quædam significatione sunt actiua, & significatione passiua, *vt* timere, *intelligere, videre, & omnia verba sensus* quædam denique sunt terminatione passiua. & significatione actiua, vt *insidiari, proficisci*.

Proprietates eius tres sunt.

1. 2. 3. Passio præsupponit actionem. Recipit contraria. Intenditur & remittitur.

Series passionis.

Series passionis.

Passio est { Naturalis, { Animi, { Intellectus. Voluntatis. } Corporis. } Volūtaria. }

CAP. XIII.

De quatuor vltimis prædicamentis.

Vbi. VBi est loci notatio, rei personæ, aut facto accommodata, Vt *in foro esse*.

Quando. Quando est temporis notatio, rei, personæ, aut facto accommodata, vt *nudiustertius*.

Quomodo hic summuntur. Vbi & Quando nec interrogatiuè hic sumuntur, vt *quando rediit herus? vbi ille scelus qui me perdidit?* nec indefinitè vt *quando venit plenitudo temporis Deus misit filium suum*; sed relatiuè, Quando enim idem significat quod Aliquando, vel esse in tempore, & indicat

dicat affectionem rei, quæ est, fuit, vel erit in tempore: & Vbi ponitur pro Alicubi esse, seu esse in loco, habitudinem notans rei locatæ ad locum, quo circumscribitur, & in quo continetur.

Situs est rei eiusq; partium positio, vt *Sessio Statio*.

Situs. Habitus est integumenti ad corpus applicatio, vt *togatum esse, ocreatum esse*. *Habitus.*

Proprietates singulorum tres sunt.

1 Non intenduntur & remittuntur.

2 Non habent contraria.

3 Rebus competunt, præsertim corporeis.

Series quatuor prædicamentorum minus principalium.

Series vbi.

Vbi est vel { Naturale, Fortuitū, } Vtrumque vel { Commune, vt *in foro esse.* Propriū, *quando aliquid in proprio loco cōtinetur*

Serie Quando.

Quādo est vel { Præteritū, vt *in præterito* Futurum, vt *in futuro* Presens, vt *in præsenti* } *Seculo, Mense, vel Anno esse.*

Series situs.

Situs est vel { Naturalis { Animatorum, vt *capitis vel pedis sursum & deorsum.* Inanimatorū, vt *hoc vel illo modo situm suū habeant.* } Volūtarius vel fortuitus, vt *pro libito sedeāus, stemus, accūbamus.* }

Series Habitus.

Habitus est vel { Naturalis in bruto, vt *calcar in Gallo, promuscis in Elephante.* Voluntarius in homine, estque rursus vel { Indumenti. Ornamenti. Pœnæ. } }

CAP.

Cap. XIIII.

De oppositione, & ante oppositionem primo de Identitate & diuersitate.

Tertia pars tractationis de Categorijs sequitur, quæ agit de distinctione quorundam vocabulorum, quæ ad pleniorem prædicamentorum cognitionem conducunt à Posteriori, & obinde appellantur Postprædicamenta.

Postprædicamentum quid. Postprædicamentum verò definitur supplementum quoddam traditum immediatè post prædicamenta, valens ad eorum cognitionem à Posteriori.

Quot sunt. Quinque sunt post prædicamenta { 1 Oppositio, 2 Modi priorum, 3 Modi simul, 4 Modus. } 5 Modi habendi.

Quæ omnia his versiculis comprehenduntur.

1 Op. 2 pri. 3 mo. 4 simul. 5 ha.
tot sunt postprædicamenta.

Primum igitur postprædicamentum est Oppositio, sed quia ex rerum conuenientia meliùs cognoscatur earum oppositio; pauca præmittemus de rerum Identitate & Diuersitate, postea ad oppositionem descendemus.

Quæcunque sunt in prædicamentis vel { Conueniunt, & fiunt idem { Genere. Specie. Numero. } aut Differunt, & sunt res, vel { Diuersæ. Oppositæ. } }

Quæ conueniunt genere. Conueniunt quibus aliquid est commune.

Ea Genere conueniunt quæ eidem generi, vel proximo, vel remoto subijciuntur; sic

sic homo & brutum in animali vt in proximo, in substantia vt in remoto genere conueniunt.

Specie. Conueniunt specie quæ sunt eiusdem speciei indiuidua, vt *Socrates & Plato.*

Numero seu indiuiduo conueniunt, quæ eandem rem singularem designant, siue sint
- 1 Plura nomina eiusdem rei vt *gladius & ensis.*
- 2 Definitũ & definitio, vt *hic homo, hoc animal rationale*
- 3 Propriũ & eius subiectũ, vt *Socrates, & hoc risibile.*
- 4 Accidens & subiectum; vt *Rex, & hic purpuratus.*

Regula. Quæcunque indiuiduo conueniunt, etiam specie, & quæ specie genere conueniunt, non contrà. Sic *Socrates & Sophronisci filius indiuiduo conueniunt scilicet in vno particulari homine, & proinde in homine, proinde in animali conueniunt, sed nec in vna specie, nec in vno indiuiduo.*

Diuersæ res dicuntur quæ inter se differunt, sine omni pugna, vt *aurum & lapis.*

Res quot modis dicantur diuersa. Tripliciter vero res dicuntur diuersæ.
- Realiter.
- Formaliter.
- Modaliter.

Realis distinctio quotuplex Realiter dicuntur differre, quæ se habent vt res separatæ, & à se inuicem seiunctæ, vt *homo & arbor.*

Hæc autem realis distinctio est
- Interna, per internos terminos.
- Externa, per externos.

Interna. Interna distinctio rursus est vel
- Subordinata quæ fit per terminos subordinatos, estque vel
  - Generica.
  - Specifica.
  - Numerica.
- Coordinata quæ fit per terminos coordinatos.

Ge-

Generica. Generica distinctio est eorum quæ differunt genere vel proximo, vel remoto: vt *homo, & virtus.*

Specifica. Specifica est eorum quæ ex vno genere ortaper essentiales differentias separantur; vel quæ sub speciebus disparatis ponuntur, vt Indiuidua diuersa, sic *homo à bruto, Bucephalus ab Alexandro separatur.*

Numerrica. Indiuidualis distinctio, est separatio duorum, aut plurium indiuiduorum, sub vna specie positorum, numero differre quæ dicuntur, vt *Petrus, & Paulus, hæc & illa arbor.*

Coordinata. Coordinata distinctio est quando res per suas causas siue proximas, siue remotas, vel subiectum per sua accidentia, vel accidentia per subiecta distinguuntur, vt *loqui & balare subiecto, risus & fletus causa efficiente differunt.*

Externa. Externa differentia fit, quando res per obiecta, adiuncta, circumstantias loci aut temporis distinguuntur, vt *si vnus ab altero per vestes, arma, aut loci distantiam separetur.*

Modalis distinctio. Modalis distinctio est, cum duo entium modi ita distinguantur vt Essentia, & Existentia, quarum hæc singularium est, illa vniuersalium; sic etiam qualitatum gradus distinguuntur, vt *calor in primo gradu à calore in secundo modaliter differt.*

Formalis distinctio. Formaliter dicuntur differe, quorum vnum sub alterius definitione sumitur; sic omnia quæ sibi invicem subordinantur inter se differunt, vt *homo & animal, animal & animatum.* His prælibatis ad oppositionem redeo.

Oppositio. Oppositio est duorum simplicium terminorum repugnantia, ita vt nec vnus alteri, nec vterque tertio possit secundum idem, codemque

demque modo, & tempore conuenire ; *idem, enim, eodemque respectu, simul pater non est, & filius.*

Dicuntur autem opposita quadrifariam { Relatiuè. Priuatiuè. Contrariè. Contradictoriè. } *Opposita quadruplicia.*

Relatiuè opposita sunt quorum vnum consistit ratione alterius, vt *Pater & Filius.* Hæc ex iis quæ superiùs in Relatione dicta sunt planiùs elucescant.

Contraria. Contraria sunt quæ sub eodem genere posita maximè à se invicem distant ;& eidem susceptibili vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum eorum insit à naturâ.

Quæ requiruntur ad contraria. Ad contraria igitur tria requiruntur, primò vt sint sub eodem genere, scilicet Qualitatis : nam solarum Qualitatum est contrarietas; secundò vt maximè à se invicem distent in natura positiva, id est, vt ambo extrema sint pôsitiva ; tertio vt se invicem expellant, nisi alterum eorum insit à natura; *sic calor & frigus in aquâ , in pariete albedo & nigredo contrariantur.*

Contraria duplicia. Contraria sunt duplicia, Mediata, vel immediata.

Mediata. Mediata sunt quæ medium aliquod habent; *sic inter calidum, & frigidum admittitur tepidum, inter album, & nigrum, intervenit flavum.*

Immediata sunt quæ nullum addmittunt *medium, vt par, & impar; sanum & ægrum.*

Triplex medium. Notandum verò quòd triplex est medium Subiecti vel abnegationis, cui nullum oppositorum convenit; *sic lapis nec pater est, nec filius, nec cæcus, nec videns*; huiusmodi medium

habent

habent relata & priuantia; vel mediū proportionis inter excessum & defectum, *sic virtus moralis dicitur in medio consistere*, vel participationis, *sic color viridis est medium*: cuiusmodi medium intelligimus quando contraria mediata nominamus.

Priuatiua.

Privatiua opposita sunt priuatio, & habitus; quorum hic præsentiam, illa rei absentiam denotat in subiecto capaci: *sic cæcitas est priuatio visus.*

Ad priuationem tria requiruntur.

Ad priuationem igitur requiruntur; primò vt ambo opposita habeant fieri circa idem subiectum, *vnde cæcitas non est auditus, sed visus priuatio*, quia ambo habent fieri circa oculum; secundò vt fiunt circa idem subiectum ordine ingressibili; sic à *priuatione ad habitum non datur regressus, si modo priuatio illa sit totalis*: tertiò vt tempus sit à natura determinatum; *vnde catulus ante diem decimum non dicatur cæcus.*

Priuatio. Totalis.

Priuatio verò duplex est, Totalis, vel Partialis.

Priuatio totalis est priuatio & actus & potentiæ, vt *Si homo nascatur cæcus.* Hîc verò primam potentiam non intelligo, quæ ab animâ sentiente fluit, & omnibus æqualiter inest, sed secundam, quæ à recta organi dispositione emanat, & potest demi.

Partialis Quomodo distinguntur.

Priuatio partialis seu actualis est, quæ actum tollit; sed non potentiam, vt *in conniuente, aut dormiente est priuatio visus, sed non totalis.* Atque hæ duæ species per regressum distinguuntur; à partiali enim, sed non a totali priuatione concedendus est regressus; *vt à somno ad vigiliam, non à morte ad vitam.*

Cōtradictoria.

Contradictoria oppositio est affirmatio & ne-

negatio eiusdem vocis simplicis; *vt homo non homo.*

Hæc omnium est fortissima, quia caret cum participationis, tum abnegationis medio; *nihil enim datur, quod partim est homo, partim non homo; aut quod neque homo est, neque non homo.*

CAP. XV.

De modis Priorum & Simul.

QVinq; modis aliud alio dicatur prius, qui omnes his versiculis comprehenduntur. *Quinq; modi priorum.*

1 Tempore, 2 Natura, 3 Prius ordine, dic & 4 Honore.
5 Causam causato, dicimus esse prius.

Tempore prius dicitur, quod est altero antiquius; vt *senex puero.* *Tempore.*

Naturâ prius, à quo non retro commeat consequutio, vt si vnum sit non necesse est duo esse, sic genera speciebus priora sunt, & species indiuiduis, *vt animal homine, & homo Socrate.* *Natura.*

Dignitate prius, quod altero excellentius dicitur, vt *miles armigero.* *Dignitate.*

Ordine prius dicitur, quod prius disponitur; vt *exordium narratione.* *Ordine.*

Causâ prius est, cum consequentia valet ab vno ad alterum, & vnum est alterius causa; *sic hominem esse conuertitur cum hac propositione* homo est; quia enim homo reuera est in rerum natura, ideo hæc propositio verificetur, *Homo est.* *Causa.*

Tres

Tres sunt modi simul.

1. Tempore, quorum generatio est in eodem tempore; vt *Hippocratis gemellorum.*

2. Natura, quæcunq; conuertuntur secundum essendi consequutionem, & neutrum est causa alterius; vt *Pater & filius, Dominus & seruus.*

3. Divisione, cuiusmodi sunt differentiæ & species idem genus condividentes; vt *rationale & irrationale, homo & Brutum.*

CAP. XVI.

De Motu & Modis habendi.

Motus quid.

MOtus est successiua vel instantanea mutatio substantiæ aut accidentis in potentia, ad aliam formam, siue internam, siue externam suscipiendam; vt *cum homo generetur, mutatur substantia ad animam rationalem acquirendam; cum paries dealbatur, externa forma inducitur.*

Sex species motus.

Eius sex sunt species. 1. Generatio, 2. Corruptio, 3. Augmentatio, 4. Diminutio, 5. Alteratio, 6. Latio; quæ, per terminos *a quibus* & *ad quos* moventur, definiuntur.

1 *Generatio.*

Generatio est motus à Non esse, ad Esse; vt *quando ex semine patris quod est non ens tale, homo generatur.*

2 *Corruptio.*

Corruptio est motus ab Esse, ad Non esse; vt *quando ex homine viuente, fit cadauer.*

3 *Augmentatio*

Augmentatio est motus à Minore, ad Maiorem quantitatem; vt *cum ex paruo surculo, crescit arbor.*

4 *Diminutio.*

Diminutio est motus ex Maiore, ad Minorem quantitatem: vt *quando homo pinguis, fit, macilentus.*

Alte-

Alteratio est motus ab vna qualitate, ad Aliam; vt *si aqua frigida, fiat calida.* 5 *Alteratio.*

Latio est motus ab Vno loco, ad alium; vt *si quis iter faciat ab Oxonio alioue loco, ad Londinum,* 6 *Latio.* *Nota.*

Generatio & Corruptio versantur circa Substantiam, & fiunt in momento: Augmentatio & Diminutio circa Quantitatem, Alteratio circa Qualitatem, Latio circa Vbi & in tempore successiuo perficiuntur.

Octo sunt habendi modi, vel scilicet 1. Qualitatem, vt *Virtutem*; vel 2. Quantitatem vt *Bicubitum*; vel 3. Vestimentum, vt *Tunicham*; vel 4. Aliquid in parte, vt *Annulum supra pollicem*; vel 5. Partem, vt *Oculum*; vel 6. Aliquid in vase, vt *Vinum in amphora*; vel 7. Possessionem, vt *Domum*; vel 8. Mulierem, vt *Vxorem*; sed iste habendi modus postremus ab Aristotele habetur pessimus. Hi octo modi his versiculis comprehenduntur. *Octo habendi modi.*

1. *Affectum,* 2. *Quantum,* 3. *Vestitum*, *dic velut* 4. *Aurum.*
5. *Membrum,* 6. *Contentum,* 7. *Possessio,* 8. *Vir Mulierem.*

Plures forsan modi istis possunt addi, sed hi quos recensuimus sunt vulgares & præcipui.

Hactenus vox simplex nos protraxit: restat complexa proximo libro enucleanda.



ADITVS AD LOGICAM.

LIB. II.

CAP. I.

De Diuisione huius libri secundum partitionem vocis complexæ.



Ox complexa quæ est huius secundi libri subiectum in tres partes, (vt superius ostensū est) dividitur, in complexam, { Voce tantum. Re tantum. Re & voce simul.

De complexâ voce tantum agemus in tractatu de Definitione & Diuisione. Definitio enim, vt *animal rationale*, & divisio, vt *rationale & irrationale*, licet plures sunt voces, vnam tamen rem designant, illa hominem, hæc autem animal.

De voce complexa re tantùm in tractatione de Distinctione & Limitatione loquemur; vbi docebimus quomodo Ambigua sunt distinguenda, aut Obscura limitanda & explicanda.

De voce complexa re & voce simul vltimò tractabimus in propositione, vbi primò eius partes, deinde essentiam, tertiò, diuisiones multiplices, vltimò affectiones fusiùs declarabimus.

CAP.

Cap. II.

De Definitione & Diuisione.

Definitio definitionis.

DEfinitio est definiti explicatio, seu euolutio; sic nomen vnum per aliud explicatur; vt *Solstitium est solis statio* item res vna per aliam priorem euoluitur; vt *Homo est animal rationale.*

Definitio duplex.

Hinc elicitur duplex definitio; Nominalis, aut Realis.

Nominalis.

Nominalis est quæ vocis significationem declarat, & fit duobus modis, vel cum ignotiùs vocabulum, notiori explicatur; vt si dicam *Honestum est quod decet*; vel cum Etymologia seu origo nominis ostenditur; vt *si homo definiatur, qui ex humo factus est.*

Realis.

Realis definitio est, quæ rei essentiam & naturam declarat, de qua hoc loco potissimùm agitur.

Realis duplex.

Realis hæc definitio est duplex vel { Germana & essentialis quæ propriè Definitio dicitur. / Accidentalis, quæ vulgò Descriptio appellatur.

Essentialis.

Essentialis definitio est, quæ ex genere proximo, & differentia constitutiua conflatur; vt *Homo est animal rationale, Animal est corpus animatum sensile.*

Et quia ex genere constat, necesse est, vt quicquid rectè definiatur sit species; quoniam verò differentiam constitutivam habet adiunctam, non potest non esse conuertibilis cum Definito.

Accidentalis.

Definitio accidentalis seu Descriptio est, quæ ex proprietatibus aut accidentibus cum genere vnius conflatur; vt *Homo est*

animal bipes, loquendi potentia imbutum.

Regula. In omni definitione obseruandum vt sit breuis, perspicua, & cum definito conuertibilis.

Vt per Definitionem *quid sit*, ita per Diuisionem *quotuplex res sit* intelligatur.

Diuisio quid. Est autem Diuisio, totius in partes resolutio, vel (vt alij definiunt) est latiùs patentis in membra angustiora deductio; *vt sic animal diuidatur in rationale, & irrationale.*

Duplex est. Substantialis. Diuisio alia est { Perfecta seu substantialis. Imperfecta seu accidentalis.

Diuisio perfecta seu substantialis est totius propriè dicti, & perfecti, in partes propriè dictas resolutio.

Tribus modis fit diuisio substantialis. Diuisio substantialis tribus modis fiat. Primò quando totum vniuersale diuiditur in partes subiectiuas, id est, cum genus in species, aut species in indiuidua distribuitur, *vt si animal diuidatur in hominem, aut brutum; aut homo in Socratem, Platonem, Aristotelem, & reliqua indiuidua.*

Secundò quum totum essentiale in partes essentiales discinditur; *vt homo in corpus, & animam rationalem.*

Tertiò quando totum integrale in partes integrantes secatur; *vt si equus dissecaretur in truncum, & artus; aut vrbs in domos, templa, & plateas.*

Ex dictis diuisionibus prima maximè omnium meretur Diuisionis nomen; reliquæ magis Partitiones quam Diuisiones sunt appellandæ.

Imperfecta diuisio est, cum totum per accidens in partes resoluitur.

Accidentalis diuisio trifariam fiat, vel enim.
- Subiectũ per accidentia diuiditur *vt homines aut liberi sunt, aut serui.*
- Accidens per subiecta; *vt bonorũ aliud est animi, aliud corporis.*
- Accidens per accidentia; *vt bonorũ aliud honestũ est, aliud vtile.*

Accidentalis quot modis fit.

Cap. III.

De Distinctione & Limitatione.

VOx complexa re tantum est, vel Ambiguum, quod Distinctione, vel Obscurum, quod Limitatione indiget.

Distinctio. Distinctio est declaratio seu enodatio vocis ambiguæ in varia sua significata; vt *si lupum distinguamus in hominem rapacem, quadrupedem, & piscem; aut taurum, in montem, animal, & sydus.*

Regula. Distinctio in omni rerum consideratione primùm est adhibenda.

Limitatio. Distinctioni affinis est Limitatio, quæ est determinatio alicuius vocabuli, cum multa possunt simul ipsi attribui; sic *homini vita, sensus, & intellectus attribuuntur;* sed limitandum quomodo hæc accidentia huic subiecto conueniunt, *non enim homo quà homo viuit, sed quà corpus animatum, sentit quà animal, & quà homo intelligit.*

Cap. IIII.

De partibus propositionis.

VOx complexa re & voce, quæ ex pluribus vocibus conflatur, vocatur Oratio.

Oratio. Oratio est vox significans ex instituto, cuius partes aliquid separatim significant, vt *Quæ te dementia cepit?*

Duplex est. Estque vel { Perfecta, quæ perfectum sensum in animo audientis gignit. Imperfecta, quæ sensum imperfectum parit; vt *homo bonus.* }

Perfecta Oratio duplex. Perfecta rursus duplex est, vel non Enuntiatiua, quæ licet perfectum, sensum in animo audientis gignat, non tamen verum quid aut falsum significat; *cuiusmodi sunt omnes orationes deprecatoriæ, optatiua, admiratiua, & imperatoriæ, vt Viue memor quam sis aui breuis. Quid faciam Romæ?* vel Enuntiatiua, quæ à Logicis Enuntiatio, seu Propositio dicitur.

Enuntiatio. Enuntiatio autem est oratio, indicatiua, verum aut falsum significans; vt *Homo est animal.*

Eius partes signata. Eius partes sunt, vel { Signantes. Signatæ. }

Partes signatæ sunt Prædicatum, Subiectum, & vtrunq; coniungens Copula.

Prædicatum. Prædicatum est totum illud quod sequitur Copulam.

Subiectum. Copula. Subiectum est illud quod præcedit. Copula est verbum vtrasq; partes connectens, vt *in hac propositione, homo est animal.* Homo est *subiectum,* Est *copula,* Animal *prædicatum.*

Obseruatio. In his summopere obseruandum, quòd non semper vnum vocabulum sed aliquando Oratio, nec quod scriptione seu loquutione, sed quod ordine Syntaxeos verbum præcedit, pro subiecto, & quod ipsum sequitur pro prædicato est habendum: *sic in hac propositione, Ardua ad virtutem via est,* via ad virtutem, *est subiectum.* Est *copula,* ardua *prædicatum.*

Partes

Partes signantes sunt, vel	Categorematicæ, Syncategorematicæ.

Partes categorematicæ seu per se aliquid significantes sunt Nomen, & Verbum.

Nomen est vox simplex ex instituto significans, cum nullo temporis discrimine, finita, recta, cuius nulla pars, quicquam separatim significat, *vt homo.*

Verbum est vox simplex, finita, recta, tempus ad significans, cuius partes nihil seiunctim designant. *Vt curro non solum cursum significat, sed tempus, præsens quo quis currit.*

Nomen à verbo differt, quòd illud sine tempore, hoc tempus adsignificat; ambo verò ab Oratione, quòd Oratio est vox complexa, istæ verò voces simplices: Orationis partes aliquid separatim significant, non autem Nominis, aut Verbi.

Casus nominis & verbi, id est, omnes præter casum rectum, & modum indicativum, sicut etiam nomina & verba infinita, enuntiationem imperfectam faciunt: *vt* Socratis est *imperfecte aliquid enunciat, nisi addatur Domus liber, aut aliquid tale: sic etiam, non animal currit, nihil indicat, nisi explicamus quid sit illud non animal.*

Partes syncategorematicæ quæ nihil nisi aliis adiunctæ significant, sunt signa quæ non rem aliquam: sed rei modum ostendunt; vt *Omnis, nullus.*

Signa verò sunt duplicia, vel	Vniuersalia, vt *Omnis, quilibet, vnusquisque.*
	Particularia, vt *Aliquis, quidam, non Omnis.*

Notandum verò quòd aduerbia quandoque horum adiectivorum, & pronominum vicem supplent; *sic nunquam idem sonat, quod Nullus: Semper idem quod Omnis: Aliquando quod Aliquis.*

Obseruatio. Vltimo obseruandum, quod partes propositionis non semper expressæ reperiuntur, sed aliquando implicitè includuntur; vnde duplex oritur propositio, Explicita, quando quælibet pars explicatur, vt *Homo est Animal*, aut Implicita, vbi vna aut plures partes reticentur, *vt ningit, Cæsar venit*, quam resoluimus addendo copulam & transmutando verbum in participium; *vt cœlum est ningens, Cæsar est veniens.*

CAP. V.

De Prædicatione.

FVerunt Propositionis partes, sequitur earum partium dispositio, quæ vulgo Prædicatio appellatur, in qua tota propositionis essentia consistit.

Prædicatio quid. Prædicatio est vera prædicati de subiecto affirmatio, aut negatio.

Quotuplex. Estque duplex, vel { Ordinata. / Inordinata.

Ordinata. Ordinata prædicatio propriè dicitur, quando illud prædicatur, aut subijcitur, quod revera prædicari aut subiici debet; vt in hac propositione, *Homo est Animal*, Animal naturaliter de homine prædicatur; quia supra eũ ponitur in serie prædicamentali substantiæ

Hæc ordinata prædicatio est duplex { Essentialis. / Accidentalis.

Essen-

Essentialis prædicatio est, quando prædicatum est de essentia subiecti, & quinque modis accidit. Vel cum genus remotum de de specie prædicatur; *vt homo est corpus*: vel 1 genus proximum de sua specie, *vt homo est* 2 *animal*, vel differentia remota de specie, *vt* 3 *homo est sensilis*, vel differentia proxima de 4 specie immediatè sibi subiectâ, *vt Homo est* 5 *rationalis*, vel denique species de suis indiuiduis, *vt Plato est homo*: atque omnes hæ prædicationes dicuntur Vniuocæ, quia prædicatum dicitur de subiecto, & secundum nomen & nominis rationem *Essentialis.*

Accidentalis prædicatio est quando prædicatum ad essentiam subiecti non spectat, *vt Cæsar est fortis*. *Accidentalis.*

Tripliciter hæc prædicatio fiat, vel cum:
- Proprium dicatur de suo subiecto, *vt homo est risibilis*.
- Accidēs de substantia cui inest prædicetur, *vt homo est albus*.
- Accidens a cidenti attribuatur *vt hoc album est dulce*.

Hæ prædicationes vocantur Paronymicæ seu Denominatiuæ, quia prædicatum de subiecto dicitur secundum nomen tantùm, & non secundum nominis definitionem.

Inordinata prædicatio est vbi nullus seruatur ordo naturalis in prædicando, vt *Animal est homo*, vbi *homo* qui est quid inferius, *de animali* prædicatur quod est ipso superius. *Inordinata prædicatio quid.*

Inordinata prædicatio est duplex: Præter / Contra ordinem. *Quotuplex.*

Prædicatio contra ordinem est, quando inferius de superiore prædicatur, *vt animal est homo* Prædicatio præter ordinem est, quando idem prædicatur de seipso, *vt hic homo est Petrus*.

His inordinatis prædicationibus possumus addere fallas & figuratas, sed illæ ab omni arte, hæ à Logicâ sunt longissimè amouendæ.

Cap. VI.

De diuisione propositionis secundum substantiam.

Diuisio propositionis.

Hactenus de propositionis patribus & partium dispositione: sequuntur eius diuisiones tribusmodis sumédæ, vel secundum.
- Substantiam, in Categoricâ & Hypotheticâ.
- Quantitatem, in
  - Vniuersalem,
  - Particularem,
  - Singularem,
  - Indefinitam.
- Qualitatem, in affirmantem & Negantem.

Iuxta communem versiculum, *Quæ ca. vel. hyp. qualis ne. vel aff. Vn. quanta & par. in sin.*

Diuisio propositionis secundum substantiam.

Primo autem de diuisione secundum Substantiam, *Quæ & ca. vel hyp.* id est, si quæratur quænam sit hæc vel illa propósitio, respondere debemus, *Categorica vel Hypothetica*; vt quærenti quænam sit hæc propositio, *Homo est animal*, respondendum est, *Categorica.*

Categorica.

Categorica seu simplex propositio est, quâ vnum prædicatum vni subiecto attribuitur, aut ab eodem adimitur, *vt homo est animal, homo non est lapis.*

Duplex.

Est duplex Pura, vel Modalis.

Pura propositio est in qua prædicâtum cum subiecto disponitur sine expresso dispositionis modo, *vt Homo est animal.* Hæc etiam rursus subdiuiditur in Propositionem *secundi adiecti*, in qua solum verbum substantivum [Est] subiecto additur; *vt Socrates est, Plato*

est;

est; quæ si resolvantur idem sonant, quod *Socrates est existens, Plato est existens*, & Propositionem *tertii adiecti*, vbi tres enuntiationis partes simul explicantur, *vt Socrates est animal, Plato est animal*.

Modalis est quæ aliquo dispositionis modo afficitur. *Modalis.*

Modi verò sunt quatuor. { Necesse, Possibile, Contingens, Impossibile, } *Modi quatuor*

Modus *Necesse* significat eiusmodi dispositionem quæ aliter se habere non potest, siue ea necessitas sit simplex & absoluta; vt *Necesse est hominem esse rationalem*; siue ex suppositione, *vt necesse fuit Messiam venire, scilicet ex suppositione promissionis diuinæ*. *Necesse.*

Impossibile notat repugnantiam inter prædicatum & subiectum, siue ea sit absoluta, *vt Impossibile est Deum esse finitum*, siue ex suppositione, *vt impossibile est nos Deum videre*; hoc supposito, quoad in carne remanemus. *Impossibile.*

Possibile significat rem quæ nondum est esse posse; *vt possibile est ludentem vincere*. *Possibile.*

Contingens notat rem quæ est, posse non esse; *vt Contingens est hominem stantem sedere*. *Contingens.*

In his vero propositionibus de *Possibili* & *Contingente* duplex sensus est obseruandus, { Compositus, Divisus. }

Compositum sensum voco eiusmodi sententiam, quâ res manens talis possit vno & eodem tempore contraria suscipere; *vt Possibile est calidum esse frigidum*, quasi diceremus *Possibile est calidum manens calidum, esse frigidum*; & ita sensus compositus est falsus. *Sensus. Compositus.*

Diuisum appello, quando affirmatur, rem, *Diuisus.*

quæ

quæ nunc est talis, posse alio tempore fieri non talem: & ita *possibile est calidum esse frigidum, id est, aquam quæ nunc est calida alio tempore frigidam fieri.*

Nota.

In omnibus Modalibus, hoc generaliter notandum, quòd ex duabus partibus constant, Dicto, & Modo: Modus præcedit, Dictum sequitur copulam: vt *Necesse est hominem mori, Necesse* est modus, *Hominem* mori est dictum.

Hypothetica.

Hypothetica seu composita propositio est, quæ constat ex pluribus propositionibus aliqua coniunctione vnitis, *vt si equus volet, habet pennas.*

Quinque species.

Hypotheticæ propositionis quinque sunt species,	Conditionalis, quæ	vnitur nota	Cōditionali, *vt si ābulet pedes habet*
	Copulatiua, quæ		Copulatiua, vt *homo est animal & est rationalis.*
	Disiunctiua, quæ		Disiūctiua, *vt vel nox est, vel dies.*
	Causalis, quæ		Causali, *vt Dies est, quia Sol lucet*
	Temporalis, quæ		Tēporali, *vt dū quis currit, mouetur.*

Nota.

Omittitur nonnunquam nodus, venustatis gratiâ; *vt obsequium amicos, veritas odium parit.*

CAP. VII.

De diuisione propositionis secundum qualitatem.

Secunda propositionis diuisio.

SEcunda diuisio propositionis est secundum Qualitatem, *Qualis, ne: vel aff.* id est, si interrogetur, qualis est aliqua propositio, respondere debemus. Est *Affirmatiua* aut *Negatiua.*

Affir-

Affirmativa propositio est, in qua prædicatum cum subiecto coniungitur; *vt homo est animal*. *Affirmatiua.*

Negatiua est quæ prædicatum à subiecto disiungit; vt *homo non est lapis*. *Negatiua.*

Vtraque rursus est, vel { Vera. / Falsa.

Vera id quod res est enunciat, vt *Socrates est homo*. *Vera.*

Falsa aliter rem iudicat, quàm reverà est, vt *Socrates est Leo*. *Falsa.*

Et quia res in propositione aliquando necessariò veræ sunt, aliquando manifestè falsæ nonnunquam verò nec planè veræ nec omninò falsæ hinc triplex oritur propositio, *Necessaria, Impossibilis, Contingens*.

Necessaria propositio est, in qua attributum necessariò subiecto coniungitur, vt *Fortitudo est virtus*. *Necessaria.*

Impossibilis est, cum fieri non possit, vt ita se res habeat, ac ipsa oratio declarat, vt *lapis sentit*. *Impossibilis.*

Contingens est cuius extrema nulla necessitate cohærent; vt *Socrates est doctus*. *Contingens.*

Obiter verò hìc notandum discrimen inter propositionem Finitam, & Infinitam; atque Affirmantem, & Negantem.

Negans enim semper habet vel signum aliquod negativum, vt *Nullus*, *neuter*, toti propositioni præfixum; vt *Nullus homo est lapis*; vel notam negantem [*Non*] copulæ additam, vt *homo non est lapis*. *Nota.*

Ad propositionem verò infinitam constituendam sufficit, si [*Non*] subiecto, vel prædicato aut vtrisq; addatur, non autem copulæ; sic *non homo est animal*, est propositio Infinita, sed Affirmans, at *Homo non est animal*, est propositio Finita sed Negans.

CAP.

CAP. VIII.

De Diuisione Propositionis iuxta Quantitatem.

Tertia diuisio propositionis.

VLtima Propositionis diuisio est secundum Quantitatem. *Vn quanta, par. ind. sing.* Quærenti enim quanta est propositio assignata, respondemus, est *vniuersalis, particularis, singularis & indefinita.*

Vniuersalis.

Vniuersalis propositio est quæ habet vniuersale signum subiecto expressè additum; vt *Nullus homo est lapis. Omnis homo est animal.*

Omnis duobus modis sumitur.

Notandum verò quòd hoc signum *Omnis* aliquando distributiuè, aliquando collectiuè sumitur.

Distributiuè.
Collectiuè.

Distributiuè sumitur, quando significat prædicatum posse distribui in ea quæ subiecto continentur; sic hæc propositio, *Omnis homo est animal*, notat animalis naturam Socrati, Platoni & cuilibet particulari homini tribui posse.

Estque iterùm Distributivum, vel in { Genera singulorum. / Singula generum.

Prædicatum in singula generum distribuitur, quando singulis indiuiduis subiecto contentis potest communicari; *Omnis arbor est corpus animatum.*

Prædicatum in genera singulorum discinditur, quando non in singula individua, sed in individuorum certos ordines & classes distribuitur; vt *Omnes homines saluabuntur*, est ac si diceres *Homines ex omni ordine ac genere erunt seruati.*

Collectiuè.

Collectiuè sumitur [*Omnis*] quando subiectum

iectum sub collectione numericâ ita distribuitur, vt prædicatum in inferiora distribui non possit; vt *Omnes planetæ sunt septem, Omnes Apostoli fuerunt duodecim.*

Signum omnis *Collectiuum*, vt & *Distributiuum* in genera singulorum imperfectè & secundariò vniuersalem propositionem facit. *Regula.*

Particularis propositio est quæ notam particularem subiecto addit; vt *Aliquid in hoc libro est difficile.* *Particularis.*

Singularis propositio est, cuius subiectum est singulare seu indiuiduum; siue proprio nomine expressum, seu pronomine demonstratiuo assignatum, vt *Socrates fuit insignis philosophus, hic homo est egregius poeta.* *Singularis.*

Hæc à particulari propositione differt, quòd particularis semper notat Vagum, hæc Determinatum indiuiduum.

Nota vniuersalis singulari subiecto addita, nihil significat præter indiuiduorum collectionem; vt *Omnes Herodes fuerunt crudeles.* *Reg.*

Indefinita propositio est, quæ nullum signum subiecto expressè additum habet; vt *Homo est animal, Lapis non sentit.* *Indefinita.*

Hæc in materia necessariâ æquipollet Vniuersali, in Contingenti Particulari; vt *Homo est animal idem sonat, quod, Omnis homo est animal. Homo est doctus, idem quod aliquis homo est doctus.* *Reg.*

Hactenùs de triplici propositionum diuisione: tres eius affectiones proximè sequuntur.

CAP.

CAP. IX.

De Oppositione Enunciationum.

Oppositio. TRes sunt propositionum affectiones, Oppositio, Æquipollentia, Conversio. Oppositio est duarum propositionum pugna quæ ex eodem subiecto & prædicato constant.

Tribus modis fit. Tribus modis fit hæc pugna, vel secundum { Qualitatem solùm, vt *Contraria & subcontraria.* Quantitatem solùm, vt *Subalterna.* Vtramque simul, vt *Contradictoria.* }

Contraria. Contrariæ sunt duæ enuntiationes vniuersales, quarum altera affirmat, altera negat; vt *Omnis homo est rationalis. Nullus homo est rationalis.*

Subcontraria. Subcontrariæ sunt duæ particulares, hæc aiens, illa negans; vt *Quidam homo est iustus, Quidam homo non est iustus.*

Subalterna. Subalternæ sunt duæ propositiones, vniuersalis scilicet & particularis paritèr aientes, aut paritèr negantes: vt *Omnis amor nescit modum; Aliquis amor nescit modum.*

Contradictoria Contradictoriæ constant ex vniuersali & particulari, quarum altera affirmat altera negat; vt *Omnia amicorum sunt communia. Quædam amicorum non sunt communia*, vel sunt duæ singulares; vt Cæsar *fuit tyrannus*, Cæsar *non fuit tyrannus.*

Regula.

1 Contrariæ ambæ possunt esse simul falsæ; vt *in materia contingenti*, nunquam simul veræ.

2 Sub-

2 Subcontrariæ nunquam simul falsæ reperiuntur, sed veræ quandoque in materiâ contingenti; vt *Aliquis homo est doctus, aliquis homo non est doctus.*

3 In subalternis si vniversalis propositio sit vera, vera etiam est eius particularis.

4 Contradictoriæ non possunt esse simul veræ aut simul falsæ.

In totâ hac propsitionum discordia diligentèr videndum, vt ijdem termini eôdem modo significent. Primò enim cauendum, ne termini sint ambigui, *vnde ex nihilo nihil fit, ex nihilo aliquid fit non repugnant, quia* fieri *in priori propositione sumitur pro generari, in posteriori pro produci;* secundò adnitendum, vt subiectum & prædicatum intelligâtur κατὰ τὸ ἀυτὸ, secundum eandem partem, vnde non opponuntur; *Minerua est glauca, Minerua non est glauca; glauca enim est secundum oculos, sed non reliquas corporis partes.* Tertiò oppositio fiat πρὸς τὸ ἀυτὸ, secundùm eundem respectum; *vnde Sol obscuratur, Sol non obscuratur, non sunt opposita propositiones, quia obscuratur respectu nostri, non sui ipsius.* Quartò vt opponantur propositiones ἐν τῷ ἀυτῷ, ratione eiusdem temporis, vt *Paulus fuit Romæ, Paulus non fuit Romæ, non repugnant, quia vtrumq; verum est alio atq; alio tempore.*

Hactenus de oppositione propositionum; nam de terminorum oppositione priori libro tractavimus; quæ inter se differunt, quod vna simplex, altera complexa oppositio dicitur.

CAP.

CAP. X.

De Æquipollentia propositionum.

Æquipollentia. ÆQuipollentia est propositionum verbis discrepantium conuenientia in sensu; vt *Semper nocuit differre paratis, & nunquam non nocuit differre paratis.*

Tribus modis fit. Tribus modis fit æquipollentia pro triplici collocatione notæ negantis, *Non:* Nam *Præ contradict. Post contrar. præ, postq; subaltern.*

1 *Præ contradict.* hoc est, si dentur duæ propositiones contradictoriæ; *v.c. Omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal*; statim æquipollent si notam negativam signo vniuersali præponamus, vt, *Non omnis homo est animal, aliquis homo non est animal.*

2 *Post contrar.* id est, si pronuncientur duæ contrariæ; vt *Omne animal sentit, Nullum animal sentit*, fiant æquipollentes, si post signum vniuersale, nota *Non* ponatur, vt *Omne animal sentit, Nullum non animal sentit.*

3 *Præ postq; subaltern.* hoc est, si duæ subalternæ proferantur; *vt aliquis amor nescit modum, Omnis amor nescit modum*; statim æquivalebunt, notam negativam ponendo ante & post signum; vt *Non omnis non amor nescit modum, Aliquis amor nescit modum.*

Has æquipollentias hisce versibus exprimere conati sunt Logici.

Nota.

Non omnis quidam; non omnis non, quasi nullus.
Nonnullus, quidam; sed nullus non, valet, omnis.
Non aliquis, nullus, non quidam non, valet omnis
Non aliter, neuter; sed neuter non præstat vterq;.

In-

Inæquipollentia præcipuè obseruandum, vt subiectum & prædicatum si non verbis, re tamen & sensu semper sint eadem.

CAP. XI.

De conuersione propositionum.

CONversio propositionis est permutatio subiecti in locum prædicati, & prædicati in locum subiecti, eàdem semper remanente qualitate vtriusque propositionis. *Conuersio.*

In conuersione duæ propositiones occurrunt considerandæ, Prior Conversa, posterior Convertens appellatur, vt *Nulla ambitio est virtus, Nulla virtus est ambitio:* illa *conuersa*, hæc *conuertens* nuncupatur. *Nota.*

Conuersio duplex.

Conversio est duplex,	Inæqualis, seu per accidens in qua Quantitas mutatur.	
	Æqualis in qua eadem in vtraque propositione manet Quantitas estque.	Simplex Per contrapositionem.

Conversio simplex est, quando extremis commutatis eadem servatur Quantitas. Sic vertuntur, E I. vniversalis negativa & particularis affirmativa; vt *Nullus lapis est homo, Nullus homo est lapis, Aliqua largitio est vitium, Aliquod vitium est largitio.* *Simplex.*

Conversio per cõtrapositionem est, quando eadem manente Quantitate, termini finiti in infinitos mutantur, ita convertuntur *A. O.* vniversalis affirmativa & particularis negativa; vt *Omne honestum est laudabile, Omne non honestum est non laudabile. Aliquod bellum non est vtile, Aliquod non bellum non est non vtile.* *Per contrapositionem.*

Con-

Per accidens. Conversio inæqualis seu per accidens, est quando transpositis terminis minuitur quantitas, ita transponuntur *A. E.* vniversalis affirmans & negans, vt *Omnis homo est animal, Aliquod animal est homo, Nulla perseuerantia est pertinacia Aliqua pertinacia non est perseuerantia.*

Triplex hæc conversio hoc disticho comprehenditur.

E. I. simpliciter conuertitur E. A. per acci.
A. O. per contra; sic fit conuersio tota.

Quatuor hæ vocales *A.* E *I.* O. Qualitatem & Quantitatem propositionum indicant iuxta hos versiculos.

Asserit A. negat E. sed vniuersaliter ambæ.
Asserit I. negat O. sed particulariter ambæ.

Obseruatio. In conuersione hæc summoperè obseruanda. Primò vt nulla sit ambiguitas terminorum, *Ideo Christus est vitis, & homo est species,* non convertuntur, quia illa est figurata, hæc à vocibus primæ ad voces secundæ notionis procedit Secundò vt totum subiectum convertendæ fiat prædicatum conuertentis. Ex cuius defectu non sequitur: *Mus rodit panem,* ergo, *Panis rodit murem, sed aliquid rodens panem est mus.* Tertia, vt nominum casus & verborum tempora obliqua rectificentùr, Vnde *aliqua arbor est in agro, non sic conuertitur,* Ergo, *aliquis ager est in arbore, sed aliquid existens in agro est arbor, ita non sequitur. Senex fuit puer.* Ergo, *puer fuit senex, sed quidam qui fuit puer est senex.*

Verùm satis à me dictum puto de essentiâ diuisionibus & affectionibus enunciationis: vltimò restat Dicursus postremo Libro pertractandus.



ADITVS AD LOGICAM.

Lib. III.

CAP. I.

De Natura & Diuisione Discursus cuius ratione hic Liber in varias partes secatur.

IN primo libro de vocibus simplicibus, in secundo de complexis egimus, quatenus per illas prima, per has secunda mentis operatio dirigitur; restat iam tertia Logicæ pars tertiam mentis operationem dirigens, quæ vocatur Discursus. Sect. I.

Discursus est actus humanæ mentis, per quam à noto ad ignoti cognitionem peruenimus. Est duplex Inferens, & Ordinans. *Discursus*

Ordinans est cum intellectus humanus ab vna parte doctrinæ ad aliam procedit, adminiculo præceptorum Ordinis, & Methodi. *Ordinans.*

Inferens est quando vna propositio ex alia probatur, & vocatur Argumentatio. *Inferens.*

Argumentatio verò ista duobus modis consideratur à Logico, vel quoad formam seu optimam singularum partium connexionem, *Argumentationis, duplex consideratio.*

nem, vt inde fiat bona consequentia, atque ita in quatuor species diuiditur, *Syllogismum, Inductionem, Enthymema, & Exemplum*: vel quoad materiam quæ concluditur, & sic in tres partes distribuitur; *Apodicticam* cuius materia est necessaria, *Topicam* quæ concludit ex probabilibus, *Sophisticam* qua ex materia fallaci & captiosa argumentatur.

Generalis diuisio huius libri.

Hinc est quòd tertium hunc Librum in tres partes distribuimus, prima aget de Argumentatione quoad formam, secunda de Argumentatione quoad materiam, tertia de Methodo & Ordine, totidem à nobis sectionibus suo quæque loco pertractanda.

CAP. II.

De Argumentatione & eius formali diuisione.

Argumentatio.

ARgumentatio est oratio qua quis rei de qua loquitur fidem facere conatur, vt *Homo futulis tacere nequit*, Ergo, *non est ad consilium vocandus.*

Tria in argumentatione notanda.

Tria sunt in Argumentatione consideranda, Antecedens, Nota illatiua, Consequens.

Antecedens notam illationis præcedit & quandoq; ex duabus propositionibus constat, vt in Syllogismo, quandoq; ex vna, vt in *Enthymemate.*

Consequens est posterior pars argumentationis notam subsequens, & vocatur Conclusio.

Nota illationis est nodus quidam vtrasq; partes coniungens. Huiusmodi sunt, *Ergo, Igitur proinde, itaq;*, quæ propter concinniorem orationis structuram nonnunquam reticentur, vt *Vim vi repellendo Clodium occidit*, [*Miloni Clodium*

ctum occidere licuit. Hic *vim vi repellendo occidere licet, Milo vim vi repellando* Clodium *occidit*, sunt duæ propositiones, quæ vnum antecedens constituunt: *Miloni Clodium occidere licet*, est consequens, & sequitur *Ergo* illationis notam subauditam.

Diuisio argumentationis.

Quatuor vt iam iam diximus sunt argumentandi formulæ: { Syllogismus, Enthymema Inductio, Exemplum.

His addunt alij Soritem, Dilemma, Violentum, quæ licet argumentationes propriè non dicantur, quia medio carent, quoniam tamen multùm suadent, non sunt omnimodò negligendæ; & proinde quatuor perfectioribus argumentandi formulis peractis, in fine huius sectionis de istis paucula dicemus.

Harum omniũ Argumentationis specierum perfectissima est *Syllogismus*, *Enthymema* verò perfectius *Inductione*, *Inductio Exemplo*. De istis omnibus suo ordine.

CAP. III.

De Syllogismi partibus & Diuisione.

Syllogysmus.

SYllogismus est oratio, in qua quibusdam ritè positis & concessis, aliquid diuersum ab ijs quæ posita sunt necessariò sequitur, propter ea quæ fuerunt posita.

Ita his duabus { *Omne turpe est fugiendum,*
præmissis positis { *Omnis voluptas est turpis.*

Necessariò sequitur concludendum, *Ergo, quædam voluptas est fugienda.*

In syllogismo primò principia ex quibus formetur, inde diuisionem eius considerabimus.

Prin-

SECT. I.
Principia Syllogismi.

Principia syllogismi sunt, vel
- Interna, vt termini & Propositiones.
- Externa, vt Dictum de Omni, & de Nullo.

Terminus. *Termini sunt ex quibus propositiones syllogisticæ conficiuntur, & in quos syllogismus vltimò resoluitur.*

Tres vero sunt termini
- *Duo extremi, quorum vnus Maior, alter Minor dicitur.*
- *Vnus Medius, qui vulgo Medium appellatur.*

Maior. *Maior terminus est prædicatum conclusionis, & in Maiore propositione cum Medio ponitur.*

Minor. *Minor terminus est subiectum conclusionis, & in Minori vnà cum Medio collocatur.*

Medius. *Medius terminus in vtraq; præmissâ capitur, & nunquàm ingreditur Conclusionem.*

Quare mediū necessariò requiritur. Sine medio nihil potest concludi: cum enim omnis quæstio duabus partibus constat, re de qua quæritur, quæ *Subiectum* quæstionis vocatur, & re quæ de subiecto quæritur quæ appellatur *Prædicatum* quæstionis; & cùm nihil seipsum probare possit, hinc est quòd tertio opus est termino, qui vtrosque priores coniungat & copulet; ideoque à Logicis Medium nuncupatur v.g. *Ad probandum omnem libidinem esse malam*, medium aliquod sumerem, puta *ingratum esse Deo*, quod primo cum prædicato questionis coniungerem, dicendo, *omne ingratum Deo, est malum*, deinde cum subiecto, addendo *omnis libido est ingrata Deo*, quæ ita secum concordantia facilè hanc conclusionem elicerent, *Ergo, libido est mala.*

Cautio prima. In terminis syllogismorum inprimis observandum, vt nec plures nec pauciores sint quàm tres: non pauciores, quia sic nulla fo-

ret connexio, quùm extrema non possint per semetipsa disponi; nec plures, quia quartus necessariò perturbat dispositionem; medium enim qua medium semper refertur ad duo. SECT. I.

Sunt autem quatuor termini vel expresse, quum totidem suo ordine in Syllogismo disponantur, vel implicite quando vnus trium terminorum est ambiguus.

Cautio secunda.

Secundò cavendum ne isti termini manci sint aut mutulati, sed vt eodem modo inferantur in Conclusionem; quo sumpti fuerunt in præmissis; non igitur termini abstracti cum concretis, obliqui casus cum rectis, notiones secundæ cum primis confundi debent. Vnde hæ conclusiones non rectè sequuntur, *Justitia est qualitas, homo est iustus,* Ergo, *homo est qualitas. Animal est genus, Homo est animal,* Ergo, *Homo est genus.*

Propositio.

Propositio syllogistica est oratio affirmans, aut negans aliquid de aliquo, in ratiocinatione.

Differt ab Enunciatione priori libro explicatâ non re sed ratione, quòd hæc est oratio extra argumentationem, illa in argumentatione aliquid affirmat aut negat.

Tres sunt Syllogismi propositiones, Maior, Minor, Conclusio.

Maior.

Maior propositio est prima Syllogismi propositio, orta ex conexione Medij cum maiori extremo; appellatur κατ' ἐξοχὴν *Propositio* à proponendo, quoniam in argumentatione primò proponitur, & præ cæteris præfigitur.

Minor.

Minor est secunda propositio, orta ex connexione medij cum minori extremo, vocatur à Cicerone *Assumptio,* quia ad maiorem in probando assumitur.

SECT. I.

Conclusio.

Conclusio est vltima propositio syllogismum cõcludens orta ex connexione maioris & minoris extremi. Appellatur inde *Complexio*, quia vtraque extrema complectitur.

Hæc si probetur, appellatur *Conclusio*, si probanda proponatur, *Quæstio*, seu Problema dicitur.

Obseruatio.

In his propositionibus, primò obseruandum, vt omnes non sint negantes, secundò vt non sint simul particulares: tertiò vt si altera præmissarum particularis sit aut negatiua, eodem modo Conclusio deteriorem partem semper sequens, colligatur: quarto, vt Medium nunquam conclusionem ingrediatur: quas leges Logici his versibus cõplexi sunt.

Syllogizari non est ex particulari.
Neue negatiuis, rectè concludere si vis.
Si qua præit partis, sequitur conclusio partis.
Si qua negata præit, Co*nclusio sitq; negata,*
Lex generalis erit, medium concludere nescit.

Principia externa.

Principia externa Syllogismi sunt duo Canones certitudinis, quorum alter respicit Syllogismos affirmantes, & vocatur *Dictum de Omni*: alter negantes concernit, & appellatur *Dictum de Nullo.*

Dictum de Omni.

Dictum de omni est, quando quicquid de aliquo subiecto vniuersalitèr affirmatur, etiam ei de quo illud subiectum dicitur, attribui potest. *Vt omne animal est substantia*, *Omnis homo est animal*, Ergo, *Omnis homo est substantia* est Syllogismus in quo *Dictum de Omni* euitèr cernitur, quia *Substantia* quæ attribuitur *animali, de homine* quoq; prædicatur, propterea quòd *animal* sub se *hominem* comprehendit.

Dictum

SECT. I.

Dictum de Nullo.

Dictum de Nullo est, quando prædicatum vniversalitèr de subiecto negatur, & ita removetur ab omnibus ijs quæ subiectum in sua latitudine comprehendit: Sic iste Syllogismus, *Nullus lapis est animal, Omnis Adamas est lapis*, Ergo, *Nullus Adamas est animal*, habet manifestum *dictum de Nullo*, nam prædicatum maioris *Animal*, vniversaliter à subiecto remouetur, subiectum verò *scilicet lapis* in se *Adamantem* continet; *Ergo*, de illo quoque *Animal* rectè negatur.

Syllogismi diuisio.

Syllogismus dividitur in { Categoricum. / Hypotheticum. }

Categoricus.

Categoricus est, qui ex vtrâque propositione Categoricâ constat.

Hypotheticus.

Hypotheticus consistit ex alterâ, vel vtrâque propositione Hypothetica.

His aliæ Syllogismi diuisiones possunt addi in *affirmatiuum & negatiuum*, *vniuersalem & expositorium*, *directum & indirectum*; sed prima illa diuisio quam adduximus est maximi momenti, scilicet in *Categoricum*, & *Hypotheticum*; cæteris igitur diuisionibus omissis de *Categorico & Hypothetico* Syllogismo loquemur, & primò de *Categorico*, quia ex illo Syllogismi fiunt Hypothetici.

CAP. IIII.

De Modis & Figuris Syllogismi.

SYllogismus Categoricus formaliter cõsideratus ad Figuras & Modos tanquam ad certos quosdam cancellos & classes redigitur.

SECT. I. *Figura.* Figura est debita medij dispositio cum extremis.

Modus. Modus est index Qualitatis & Quantitatis propositionum. A Figura differt, quòd Figura notat terminorum, modus propositionum dispositionem.

Figura tres. Tres sunt figuræ quæ oriuntur ex triplici medij dispositione: vel enim medium est subiectum maioris, & prædicatum minoris propositionis, & fit *Prima Figura*: vel in vtrâque præmissa prædicatum, & fit *Secunda*: vel in vtraque subiectum, & oritur *Tertia*, iuxta istos versiculos:

Sub præ primæ
Bis præ secunda.
Tertia bis sub.

Modi. 14. Modi verò sunt quatuordecim, quatuor primæ Figuræ, & totidem secundæ, sex autem tertiæ, qui omnes his Versibus comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Primæ, *Darij, Ferioq́.*
Cesare, Camestres, Festino, Baroco Secundæ,
Tertia *grande sonans; edit Darapti, Felapton,*
Adiungens Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In quolibet horum modorum tres repetiuntur vocales, totidem propositionibus in Syllogismo respondentes, earum qualitatem & quantitatem propalàm ostendentes, iuxta versus priùs habitos: *Asserit A, negat E.* &c. Sic *A.* in omni syllaba in *Barbara* reperta, notat quamlibet propositionem in illo modo vniversalitèr affirmare.

Prima figura. Prima figura est; quando medius terminus medio loco collocatur, vt subiectum sit maioris, & minoris prædicatum. Huius quatuor sunt modi directè concludentes.

Bar

Bar *Omne animal sentit.*
ba *Omnis homo est animal.* Ergo
ra *Omnis homo sentit.*
Ce *Nullum animal est lapis.*
la *Omnis homo est animal.*
rent Ergo, *Nullus homo est lapis.*
Da *Omne turpe est fugiendum.*
ri *Aliqua voluptas est turpis.* Ergo
j *Aliqua voluptas est fugienda.*
Fe *Nulli lasciui sunt legendi.*
ri *Aliquis Poeta est lasciuus.* Ergo,
o *Aliquis Poeta non est legendus.*

Regula. Huius figuræ maior semper est vniversalis, minor vbique affirmans.

Secund. Secunda figura est in quâ medius terminus in vtraque præmissa prædicatur. Eius quatuor sunt modi.

Ce *Nemo liberalis cupit aliena.*
sa *Omnis auarus cupit aliena*; Ergo
re *Nullus auarus est liberalis.*
Ca *Omnis prudens est temperans.*
mes *Nullus lasciuus est temperans.* Ergo
tres *Nullus lasciuus est prudens.*
Fe *Nullum scelus excusabile.*
sti *Aliqua culpa est excusabilis.* Ergo.
no *Aliqua culpa non est scelus.*
Ba *Omnis fraus est prohibita.*
ro *Quadam mercatura non prohibetur.* Ergo
co *Quadam mercatura non est fraus.*

Maior huius figuræ semper est vniversalis; maior aut minor semper affirmans.

Tertia figura habet medium in vtraque præmissa subiectum. Eius sex sunt modi.

SECT. I.

Da *Omnis homo est rationalis.*
rap *Omnis homo est animal.* Ergo
ti *Quoddam animal est rationale.*
Fe *Nulli electi damnantur.*
lap *Omnes electi peccant.* Ergo
ton *Quidam peccatores non damnantur.*
Bo *Aliquod bellum non est fugiendum.*
car *Omne bellum est cruentum.* Ergo
do *Quoddam cruentum non est fugiendum.*
Di *Quidam vocati saluantur.*
sa *Omnes vocati peccant* Ergo
mis *Quidam peccatores saluantur.*
Da *Omnis sapiens est beatus.*
ti *Quidam sapiens cruciatur dolore.* Ergo
si *Quidam cruciatus dolore est beatus.*
Fe *Nulla seueritas placet.*
ri *Aliqua seueritas est bona.* Ergo
son *Aliquod bonum non placet.*

Reg. Minor huius figuræ semper est affirmans, conclusio semper particularis.

Nota. Modales syllogismi eodem modo conficiuntur quo isti puri, si *Necesse* pro *Omnis*, *Impossibile* pro *Nullus*, *Contingens* pro *Aliquis* in concludendo substituatur.

CAP. V.

De Reductione.

QVoniam inter Syllogismos iam enumeratos alij alijs sunt imperfectiores, & propterea reductione egent, de istis & istorum reductione paucula addemus.

Reductio. Reductio est mutatio Syllogismi secundæ aut tertiæ figuræ in Syllogismum primæ.

Duplex est reductio, Ostensiua, & Reductio per impossibile.

SECT. I.

Duplex eſt.

Oſtenſiua eſt quando vel conuerſione tantùm, vel converſione & tranſmutatione ſimul præmiſſarum, Syllogiſmus aliquis ſecundæ vel tertiæ figuræ reducitur ad Syllogiſmum primæ, eâdem concluſione vel eius Converſâ remanente.

Reductio per impoßibile.

Reductio per impoſſibile eſt oſtendere valorem Syllogiſmi, cogendo aduerſarium ad abſurdum; ſumptâ concluſiónis contradictione cum altera præmiſſarum.

Modum reductionis literæ initiales, & intermediæ oſtendunt, nam B. C. D. F. in modorum initio indicant ad quem modum primæ figuræ quilibet imperfectus modus eſt reducendus: C.M.P.S. in medio & fine monſtrant, quomodo hæc reductio ſit perficienda, C. enim reductionem per impoſſibile, M. propoſitionum tranſmutationem, P. attenuatam, & S. ſimplicem converſionem deſignant iuxta hos verſiculos.

S. vult ſimpliciter verti. P. vero per acci:
M. vult tranſponi. C. per impoßibile duci.

Exempli gratia. B. in *Baroco* & *Bocardo*, principio notat modos ad *Barbara* eſſe reducendos; eandemque reductionem per impoſſibile fieri C. in medio monſtrat; & proinde neceſſe eſt, vt alicuius propoſitionis contradictio ſubſtituatur. Exempli gratiâ formetur hic Syllogiſmus in

Ba- *Omnis homo eſt animal*
ro *Aliqua planta non eſt animal.* Ergo
co *Aliqua planta non eſt homo.*

Huius Syllogiſmi maior maneat, & concluſionis contradictio fiat minor, & minoris concluſio, ad hunc modum;

Bar *Omnis homo est animal*
ba *Omnis planta est homo.* Ergo
ra *Omnis planta est animal.*

Bocardo eodem modo est reducendus, nisi quòd in hoc minor, vt in superiore maior propositio semper est seruanda, & proinde contradictio conclusionis fiat maior, & maioris conclusio.

Hi duo modi solùm *per impossibile* reducuntur, reliqui omnes *per ostensiuam reductionem.* Reductio verò per impossibile ideò fit, vt eorum ignorantia omnibus patefiat, qui conclusionem probabilem in his modis non admittunt: vt si protervus quisquam non admiserit, *Aliquam plantam non esse hominem,* illud quod est omnium absurdissimum, reductione factâ, necesse est vt admittat, dum eius contradictorium concedat, nimirùm, *omnem plantam esse hominem,* quippe aut hoc aut illud in contradictorijs necessariò verum est.

Reliqui Syllogismi *per reductionem ostensiuam* iuxta literarum ordinem sunt reducendi.

Ita in *Cam-es-tres* C. notat ipsum reduci debere ad *Celarent,* M. indicat propositionum transpositionem; S. in medio ostendit fieri debere simplicem conversionem, vt in hoc exemplo patet.

Cam *Omnis homo est animal*
es *Nullus lapis est animal.* Ergo
tres *Nullus lapis est homo.*
Ce *Nullum animall est lapis*
la *Omnis homo est animal.* Ergo
rent *Nullus homo est lapis.*

Ita

Ita in conversione *Darapti* D. notat ipsum ad Darij esse reducendum. P. in medio designat minoris conversionem per accidens, vt

Da *Omnis pius est felix,*
rap *Omnis pius est exosus.* Ergo
ti *Aliquis exosus est felix.*
Da *Omnis pius est felix*
ri *Quidam exosus est pius.* Ergo
j *Quidam exosus est felix.*

Ex his quæ diximus facilè patet, quomodo reliqui modi secundæ & tertiæ figuræ ad primam possint reduci, modò discentes id fideliter in memoria teneant, quod priùs in propositionum Conversione didicerunt.

Cap. VI.

De Syllogismo Hypothetico.

HActenùs de Syllogismi Categorici modis & figuris loquuti sumus proximè ad Hypotheticum deueniendum, qui ita à Categorico dependet, vt nisi ad eum reducatur omninò vitiosus est habendus.

Syllogismus Hypotheticus est duplex, vel { *Purè Hypotheticus.* / *Hypotheticus ex parte.* } *Syllogismus Hypotheticus duplex.*

Syllogismus merè Hypotheticus est qui habet omnes propositiones Hypotheticas, vt { *Si animal sit, est etiam substantia.* / *Si Leo sit, est animal.* Ergo / *Si Leo sit, est substantia.* }

Syllogismus ex parte Hypotheticus est qui con-

SECT. I. constat ex maiori propositione Hypothetica, & minore Categorica.

Estque vel { Condicionalis. / Disiunctivus.

Conditionalis. Conditionalis est qui constat maiori propositione conditionali, *vt si sol luceat dies est, sol lucet*, Ergo *dies est*.

Tota vis huius Syllogismi dependet à connexione antecedentis & consequentis.

Nota. Reg. 1. Notandum igitur est, quòd ab assumptione Antecedentis ad assumptionem consequentis valet illatio; sed non à positione consequentis ad positionem antecedentis nisi termini sunt reciproci, vnde non valet, *Si homo est, animal; est, sed animal est.* Ergo *homo est.* Sed potius dicendũ, *homo est*, Ergo *animal est*.

Reg. 2. A remotione consequentis ad remotionem antecedentis valet illatio; non autem à remotione antecedentis ad remotionem consequentis, nisi in terminis reciprocis: vnde invalidus est Syllogismus, *Si homo sit, animal est, sed non est homo*, Ergo, *non est animal*: valet autem iste, *Si homo sit, rationalis est, sed est rationalis*, Ergo, *est homo*; huius enim Syllogismi termini sunt reciproci & convertibiles.

Reductio eius ad Categoricum. Hic Syllogismus ad Categoricam reduci potest, si vis consequentiæ loco maioris ponatur, *vt si animal est, sentit*, in Categoricum resolvitur dicendo, *Omne animal sentit, Homo est animal*, Ergo *homo sentit*.

Quod si in maiore plures termini se offerunt, ad pauciores sunt reducendi: *vt si Deus irascatur peccatis, Gentiles non sunt iusti*, sic reducitur. *Quibus Deus irascitur, ij non sunt iusti, at Gentilibus propter peccata irascitur*, Ergo *Gentiles non sunt iusti*

Hy-

Hypotheticus disiunctivus est qui loco maioris propositionem disiunctivam habet, *vt aut dies est, aut nox, sed dies est*, Ergo, *non nox est*. SECT. I. *Disiunctiuus.*

Tota eius vis consistit in membrorum disiunctione & oppositione; non enim possunt esse subordinata nec mutilata, sed plena esset eorum repetitio. *Nota.*

Valet hic Syllogismus quatuor modis. *Quando valet.*

Quando ponitur antecedens, vt tollatur consequens: *vt iustus est aut iniustus*, sed *iustus est*, Ergo, *non iniustus*.

2 Quando consequens tollitur, vt ponatur antecedens: vt *Dies est aut Nox*, *non est Nox*, Ergo, *Est Dies*.

3 Quando negatur antecedens, vt ponatur consequens: *vt aut Dies, aut Nox est, non est Dies*, Ergo, *est Nox*.

4 Quando ponitur consequens, vt negetur antecedens; vt *Aut homo est aut brutum, sed est brutum* Ergo, *non est homo*.

Hi Syllogismi disiunctiui, in conditionales resolvuntur & ipsi deinum in Categoricos sic *Aut Nox est aut Dies*, resolvitur in hanc propositionem, *Si Dies est Nox non est*, vnde rursus Categoricè concludimus. *Reductio Syllogismi disiunctiui ad Categoricum.*

Nullum tempus nocturnum, est diurnum.
Hoc tempus est nocturnum, Ergo,
Hoc tempus non est diurnum.

His addi potest coniunctivus Syllogismus, vbi maior est propositio Hypothetica coniunctiua; sed quia in affirmantibus mera est pugatio, *vt si quis dicat, Socrates est Philosophus, & bonus vir*, quid subsumendum? *num hoc quod sit Philosophus, vel istud quod sit bonus vir?* quorum vtrumque antea concessum est, & obinde

obinde copulativi Syllogismi tantùm sunt negatiui. Sed quia negatiua argumentatio ex copulatiuis constans, idem infert quod disiunctiva, potiùs ad disiunctivam ipsam retulimus, quàm distinctam tractationem extrueremus.

CAP. VII.

De Enthymemate.

Enthymema.

SEcunda argumentationis species est Enthymema, quod est Syllogismus imperfectus, in quo alterutra præmissarum reticetur, *vt Homo est animal*, Ergo, *est corpus.* In Enthymemate prior propositio dicitur Antecedens, posterior consequens.

Eius partes.

Quomodo perficetur.

Quæ verò præmissarum sit adiungenda, ex antecedentis & consequentis terminorum inspectione cognoscatur: si enim in antecedente & consequente idem sit subiectum, deest maior, si idem prædicatum, minor abest; *vt Temeritas est vitium*, Ergo, *temeritas est fugienda*, maiore caret, quia idem est subiectum vtriusque præmissæ; quòd si propositionem addamus illam, *Omne vitium est fugiendum*, hoc imperfectum Enthymema perfectus fiet Syllogismus. Ita, *Homo est animal*, Ergò, *Socrates est animal*, est Enthymema, in quo minor deest, scilicet *Socrates est homo*.

Vnde Enthymema falsum sit.

Si Enthymema sit falsum, accidit vel quoniam vna præmissarum est falsa, vel quòd consequens non rectè ab antecedente dependet: sic si quispiam argumentaretur, *Homo est animal*, Ergo *Homo volat*: argumentum eius est negandum, quia consequens non rectè ab antecedente dependet, nisi concederemus *omne animal volare*.

CAP. VIII.

De Inductione.

TErtia species est Inductio, quæ fit cum ex pluribus singularibus elicitur generalis conclusio. *Inductio.*

Per singularia verò hic intelligo & Indiuidua, & Partes, vnde euenit, quòd Inducto duobus modis fiat, quando procedimus vel à singularibus ad vniversale, vel à partibus ad totum. *Nota.*

Quòd si singularium aut partium enumeratio sit valdè prolixa, addenda est aliqua forma solennis, vt sunt, *sic in aliis*, *non datur aliquid dissimile, sic in cæteris.*

A singularibus ad vniversale.

Male periit Dionysius, male Phalaris, male Nero, male Caligula, nec datur aliquod dissimile exemplum, Ergo *omnes Tyranni male perierunt.*

A partibus ad totum.

Plebs Romana optime de Milone sentit, equestris ordo optime sentit, Senatus optime sentit, idem de cæteris ciuibus est dicendum, Ergo *totus populus Romanus optime de Milone sentit.*

In hac argumentatione summoperè cavendum, vt enumeratio singulorum plena sit & perfecta, & ne qua partium dissimilitudo reperiatur, vnde hæc Inductio non valet, *Socrates, Plato, & Themistius fuerunt docti*, Ergo *omnes homines sunt docti*; Secus enim res se habet in Corydone, & Gryllo. *Cautio.*

Inductio ad Syllogismum primæ figuræ reducitur, posita loco maioris tali propositione, in qua prædicatum conclusionis de particularibus seu singularibus omnibus, siue enumeratis, siue intellectis, tanquam de *Quomodo ad Syllogismum reducitur.*

medio

SECT. I. medio dicatur, & addetur minor in qua de subiecto conclusionis eadem singularia dicatur, *vt Dionysius, Phalaris, Nero, Caligula male perierunt.*

Sed isti omnes fuerunt Tyranni. Ergo, *Omnes Tyranni male perierunt.*

CAP. IX.

De Exemplo.

Exemplum.

QVarta ratiocinandi forma est Exemplum, quando vnum singulare per aliud probatur, *vt, Catilina dedit pœnam mota seditionis.* Ergo, *Iste seditiosus puniri debet.*

Quomodo ab Inductione & Syllogismo differt.

Differt ab Inductione & Syllogismo, quòd Syllogismus ab vniuersalibus ad particulare, Inductio à particulari ad vniuersale, Exemplum ab vno particulari ad aliud eiusdem naturæ procedit.

Quomodo dissoluendum.

Dissolvimus exemplum ostendendo partium dissimilitudinem, sic *Laterensis, fuit accusatus quia consulatum affectavit.* Ergo *Cicero est accusandus,* non valet, quia alter per ambitum, alter citra ambitum affectavit.

Reductio Exempli ad Syllogismum.

Exemplum ad vnum Syllogismum nullo modo reducitur, quia ex quatuor terminis constat; v.g. si propositum sit probare, *Periculi plenum esse Anglos cum Scotis bellum gerere adferendo simile exemplum de Thebanis & Athenienfibus, qui finitimi erant, & infeliciter bellum gesserunt;* necesse est si Syllogisticè concluderetur, vt quatuor sumerentur termini, ex quibus duplicem Syllogismum extrueremus.

Bellum

Bellum gerere cum finitimis est medius terminus. *Periculi plenum*, maior.

Minor est *bellum Anglorum cum Scotis.* Quartus terminus est similis tertio, & est *bellum Thebanorum cum Atheniensibus.* Ex his terminis duo efficiuntur Syllogismi, quorum prior vocatur Prosyllogismus, principalis. v. c.

Prosyllogismus.

Bellum Thebanorum contra Athenienses fuit malum.

Bellum Thebanorum contra Athenienses fuit contra vicinos. Ergo.

Bellum contra vicinos est malum.

Syllogismus principalis.

Bellum contra vicinos est malum.

Bellum Scotorum contra Anglos est bellum contra vicinos. Ergo

Bellum Scotorum contra Anglos est malum.

Hi duo Syllogismi ad hunc modum in vnum Enthymema rediguntur.

Bellum Thebanorum contra Athenienses fuit malum, Ergo, *etiam Scotorum contra Anglos:* huius consequentiæ ratio est, quia vtrumque fuit contra finitimos quàlia bella solent esse mala.

CAP. X.

De aliis minus perfectis argumentandi formulis.

QVatuor istæ de quibus egimus argumentandi formulæ sunt magis principales: restant iam aliæ imperfectæ, quæ ratione materiæ magis quàm formæ concludunt.

Inter has primo occurrit Sorites, quæ est

est concatenatio propositionum, & series coaceruata, quâ prædicatum prioris propositionis fit subiectum sequentis, donec primum prædicatum cum postremo subiecto componatur: ita ratiocinatur D. Paulus. *Quos præcognouit prædestinauit, quos prædestinauit, vocauit, quos vocauit iustificauit, quos iustificauit glorificauit.* Ergo, *quos præcognouit glorificauit.*

Nota.

Hæc argumentatio ex paucioribus quam quatuor propositionibus non constat, & valet quando ab imâ specie ad summum genus per intermedia ascendimus; vel à causis ad effectus proximos, qui rursus sunt aliorum effectuum causæ.

Quando vitiosa.

Vitiosa est, quando termini diuersarum Categoriarum confunduntur, vel causæ per accidens confundantur cum causis per se, vel vna propositio sit negatiua, vel propositio particularis in secundo aut tertio loco ponatur, vel quando peccat contra vnam limitationem primæ regulæ antepraedicamentalis supra quam hoc argumentandi genus fundatur.

Quomodo ad Syllogismum reducitur.

In Sorite multi latent Syllogismi, quorum vnus principalis dicitur, cuius maior terminus est prædicatum, minor est subiectum conclusionis in Sorite, medium verò est subiectum propositionis conclusionem antecedentis; reliqui vocantur prosyllogismi, qui fiunt ex terminis intercedentibus: quot enim termini tot media reperiuntur ad Syllogismos minus principales conficiendos, vt in prædictâ Sorite principalis Syllogismus est,

Qui iustificantur glorificantur.
Qui præcognoscuntur iustificantur, Ergo
etiam glorificantur.

Prosyllogismi verò ex intermediis terminis ad hunc modum colliguntur.

Qui vocantur iustificantur,
Omnes præsciti iustificantur, Ergo
Omnes præsciti iustificantur.
Item,
Omnes prædestinati vocantur,
Omnes præsciti sunt prædestinati, Ergo.
Omnes præsciti vocantur.

In Sorite obseruandum, vt Syllogismi in quos resolvitur sint in prima figura, quòd in illa eius consequentiæ ratio potissimè demonstretur.

Dilemma.

Post Soritem adiungamus Dilemma, quæ est argumentandi forma, in qua sic confirmamus nostra, aut impugnamus aliena, vt quãcunque interrogationis partem adversarius accipit, causa cadit; *vt si animus est corporeus, quomodo percipit incorporea? si incorporeus, cur senio contabescit?*

Optimum est Dilemma quod constat ex contrariis inter quæ nullum est medium.

Quando vitiosum.

Vitiosum est, si disiunctio non sit plena, sed detur tertium, aut quartum membrum, vel si vtraque aut omnes partes aduersarium non feriunt, vel si idem Dilemma contorqueri possit in aduersarium.

Quomodo reducitur.

Dilemma in vnum Syllogismum Hypotheticum & duos Categoricos resolvitur, in illum propter maiorem, quæ constat ex propositione Hypothetica, in hos propter minorem bifurcatam: exempli gratia, *Si detur animus, tum est corporeus vel incorporeus; sed non est corporeus, nec incorporeus;* Ergo *non datur animus.* Huius Syllogismi minor, quoniam bimembris est, in duos Categoricos ita resolvitur.

Quod percipit incorporea non est corporeum.
Animus percipit incorporea.
Ergo, *Animus non est corporeus.*

Item.

Nullum incorporeum senio contabescit
Omnis animus senio contabescit, Ergo.
Nullus animus est incorporeus.

Violentum. His adijciamus Violentum, quod est concludendi Modus, in quo ex aduersariorum ratione, non quod ipsi volunt, sed quod nobiscum facit sequi demonstramus, vt *Nolo Philosophiæ operam dare, quia sum filius Regis*, retorqueri potest, *Imo eo magis Philosophiæ insudandum, quoniam ex Regali stirpe natus.*

Hactenus de Formali consideratione argumentationis, sequitur materialis sequenti sectione enucleanda.



ADITUS AD LOGICAM.

Sectio secunda.

LIB. III.

CAP. I.

De Diuisione Argumentationis.

Argumentationis diuisio.



Rgumentatio quoad materiam diuiditur in necessariã seu Apodicticam. probabilẽ seu Dialecticam. Fallacem seu Sophisticam quæ concludit ex materia necessaria probabili Captiosa.

Inter has argumentationes de apodictica pro materiæ necessitate primo dicemus.

Argumentatio necessaria quid, quotuplex.

Argumentatio necessaria est, quæ in scientiis & artibus ex proprijs earum principiis conclusionem probat.

Quum enim disciplinarum aliæ sunt Theoreticæ, quæ cognitione veritatis consistunt, aliæ practicæ quæ in rerum actione aut effectione versantur; vtræque autem probandi ac docendi ea quæ ipsis subijciuntur, ex proprijs principijs, vim facultatemque habeant hinc fit quod duplex oritur Augmentatio necessaria

Sect. 2. *Demonstrativa.*

cessaria, vnam Demonstrativam, alteram Didascalicam appellamus.

Demonstratiua est, quam ad scientiam comparandam accommodamus, *vt si probemus in naturali Philosophia, hominem esse resibilem, quia est rationalis, aut lunam pati Eclipsim, quia terra interponitur.*

Didascalica.

Didascalica est, quâ in arte aliqua vtimur ad certum aliquid confirmandum, *vt si concludamus in Medicina dulcia calidis naturis non competere, quia citò vertuntur in bilem*

Quomodo inter se differunt.

Et licet hæ duæ argumentationes quadam generali materia, quia ambæ fiunt ex propositionibus necessariis propriis; & fine generali, quia simul firmam cognitionem pariunt, consentire videantur: si tamen impensiùs consideremus, videbimus easdem δὶς διὰ πασῶν dissentire; nam principia propria scientiarum ex quibus demonstratiuè concludimus sunt res necessariæ artium verò principia vel hominis industriâ generantur, aut si sunt necessaria in sua naturâ, ratione tamen vsus & applicationis in artificis manu sunt posita; prætereà finis Demonstrationis est certa cognitio in qua mens acquiescit, at Didascalicæ argumentationis finis ad actionem aut affectionem dirigitur. Medicus enim non acquiescit in morbi cognitione per suas causas & symptomata, sed procedit ad expulsionem morbi cum sua causâ.

Nos priori loco de argumentatione demonstratiuâ, & in illa primò de eius definitione, secundò de illius diuisione, vltimò de affectionibus breviter, & quantum res patitur apertè agemus.

Cap.

CAP. II.

De definitione prima demonstrationis.

DEmonstrationis definitio petitur aut à fine eius ad quem collimat, vel a materia ex qua constituitur.

Finis eius est Scientia; vnde Demonstratio ab *Aristotele* dicitur Syllogismus, qui scientiam parit.

Prima definitio demonstrationis.

In quâ definitione primò quid Scientia est inde quomodò acquiritur ostendemus.

Scire est causam cognoscere, propter quam res est, quod illius causa sit, & quòd alitèr se habere nequit.

Scire quid. Eius conditiones.

Ad scientiam igitur quatuor requiruntur, primò vt causa cognoscatur, secundo vt illa causa sit proxima, tertiò vt cognoscatur quatenus est illius rei causa, id est, vt connexionem causæ cum affectu cognitam habeamus; quartò, vt certus sit animus rem alitèr se habere non posse. Ex his colligimus duplicem esse Scientiæ certitudinem, vnam ratione *obiecti seu rei scibilis*, quando causam eius proximam apprehendimus, alteram ratione *subiecti seu animi scientis*, vt scilicet certus sit, rem alitèr se habere non posse, certus autem est, quia causam cognoscit, quâ cognitâ necessariò cognoscitur effectus.

Duplex scientiæ certitudo.

Præterea quod ad scientiæ acquisitionem attinet, cognoscendum est tria ad omnem scientiam necessario requiri, { Subiectum. Principia. Affectiones.

Tria ad scientiã necessaria.

Subiectum cuiuslibet scientiæ quatuor condi-

SECT. 2. *Subiecti conditiones. 4.* conditiones requirit, primò vt sit ens per se, secundò vt sit præcognitum, tertiò vt affectiones & propria principia habeat, quarto vt eius consideratio nulla alia sit, quàm vt his omnibus substernatur, *sic corpus naturale est subiectum Physiologiæ, & in eo omnes hæ conditiones simul concurrunt.*

Nota. Per subiectum autem scientiæ substantiam solam non intelligo; sæpenumerò enim accidentia sunt variarum scientiarum subiecta, *vt numerus Arithmeticæ, magnitudo Geometriæ* quæ licet in alia scientia possunt demonstrari, vt in Physicâ; in proprijs tamen scientiis nunquam demonstrantur, sed præcognoscuntur, & *quod* sint & *quid* significant.

In quolibet subiecto duo occurrunt consideranda.	Res considerata.
	Modus considerandi.

Reg. 1. Vna res considerata pluribus scientijs potest communicari, at modus considerandi in iisdem alius est atque alius, *sic in scientiâ naturali naturale corpus est subiectum, & res considerata: modus vero ipsum considerandi est qua naturale; idem etiam est res considerata in Medicinâ, non autem qua naturale, sed qua sanabile.*

Reg. 2. Scientia subalternans & subalternata habent eandem rem consideratam & eundem modum considerandi; in hoc solùm differunt quod scientia subalternans subiectum considerat ab omni materia & sensibili qualitate seiunctum, sed subalternata idem contrahit ad materiam sensibilem; *vt Arithmetica de numero agit nullam habente sensibilem qualitatem, Musica in eodem sonis adiuncto versatur, quare Musica subordinata dicitur & veluti filia*

Arith-

Arithmetica subalternans & tanquam mater. Hoc autem si ita se habet, talem subalternationem in solis Mathematicis reperire necesse est, quòd in iis tantùm res cum sensibili materiâ, nonnunquam existunt, nonnunquam mente & cognitione separantur.

Principia scientiæ sunt ea quibus in aliqua disciplinâ, nihil est prius.

Principia quæ

Sunt duplicia, Essendi vel Cognoscendi.

Essendi principia sunt; quæ dant esse rei, *sic materia & forma sunt principia essendi in corpore naturali.*

Essendi.

Cognoscendi principia sunt, quæ non ad essentiam, sed ad cognitionem rei conducunt

Cognoscendi.

Differunt quod principia essendi sunt principia cognoscendi, sed non contrà. Prætereà essendi principia sunt res simplices, neque semper cognoscuntur, sed aliquandò demonstrantur à posteriori; *vt hominem rationalem esse demonstramus, eo quod est risibilis.*

Quomodo differunt.

Cognoscendi verò principia sunt voces complexæ seu propositiones, quæ sine vllâ probatione in sua scientiâ accipiuntur, aut si probanda sunt in alia scientiâ probantur.

Hæc cognoscendi principia sunt duplicia, Propria, vel Communia.

Principia communia sunt quæ omnibus aut pluribus artibus, & scientiis communicâtur: sic principium illud contradictionis; *Quidlibet est vel non est,* vbique veritatem obtinet, & omnibus disciplinis accommodatur; Item, *si ab æqualibus æqualia demas ea quæ remanent erunt æqualia*, est principium cùm Arithmeticum tùm Geometricum magnitudinibus & numeris commune. Hæc vulgo ἀξιώματα & Dignitates appellantur.

Cognoscendi principia duplicia. Communia.

Principia

SECT. 2. Principia propria sunt, quæ ad vnam duntaxat scientiam spectant; vt sunt in Geometria, *A quolibet puncto ad quodlibet punctum lineam rectam duci posse*; in Medicina, *Contraria contrariis sanantur*, in Physicâ, *Ex nihilo nihil generatur*. Hæc pro diversâ ratione Hypothesis, Postulata, & Definitiones vocantur.

Nota. Principia communia ad Topicam, non Demonstrativam argumentationem spectant, nisi quatenùs extrà demonstrantibus inserviant, ad principia propria confirmanda.

Affectio. Affectio est accidens proprium, quod per se & essentialiter subiecto scientiæ inhæret.

Tres sunt eius conditiones, primò vt inhæreat, secundò, vt per se inhæreat, id est, vt naturam & essentiam propriam subiecti consequatur. Tertiò vt præcognoscatur, *quid* eius nomen significat *Quod*, autem & *Cur sit* per demonstrationem innotescat.

Nota. Quod in vna scientia est affectio, in alia potest esse subiectum; sic *Magnitudines & numeri accidentia sunt in Physiologia, sed in Mathematicis subiecti locum tenent.*

His tribus partibus scientiæ respondent, totidem partes demonstrationis. Subiectum de quo demonstratur; Principia per quæ fit demonstratio: & Affectio quæ demonstratur *vt si demonstremus risibilitatem esse affectionem, quæ homini vt primo subiecto inhæret per rationalitatem, tanquam per causam proximam;* tum enim veram risibilitatis scientiam acquisivimus; & hac ratione Demonstratio dicatur Syllogismus scientificus.

CAP. III.

De secunda definitione Demonstrationis.

FIne Demonstrationis exposito, dicendum est de medijs, quæ ad finem conducunt, seu de materia ex qua Demonstratio conficitur, vt scientiam pariat.

Materia eius quinque notis ignitur, quas omnes Aristoteles in hac secunda definitione sigillatim enumerat. *Materia Syllogismi quinque notis constat.*

Demonstratio est Syllogismus scientificus, qui constat ex veris, primis, immediatis, notioribus, & prioribus, & caussis conclusionis.

Prima conditio est vt constet ex veris, *seu vt alij addunt*, necessariò veris. *Veræ* autem propositiones dicuntur, quorum prædicata verè dicantur de subiecto, & quo artiori vinculo prædicatum cum subiecto vnitur, eo magis elucescit veritas. Quum igitur istæ propositiones debent esse summoperè veræ, inde est, quod haberentur apprimè necessariæ. *Prima conditio.*

Hinc est quod Aristoteles tres necessitatis gradus enumerat, { κατὰ παντὸς, seu de omni. καθ' αὑτὸ seu per se. καθόλου πρῶτον, seu quatenus ipsum. *Tres gradus necessitatis.*

Κατὰ παντὸς, De omni est quod omni semperque conuenit. Duæ igitur requiruntur conditiones, vt propositio sit de omni; Vniuersalitas subiecti, vt prædicetur de omnibus subiecto contentis, *vt in vere* *Primus gradus, Eius conditiones.*

SECT. 2.

verum est quod omnis arbor viret. Vniuersalitas temporis, vt prædicatum subiecto attribuatur sine vllâ temporis aut loci exceptione *vt Omnis homo est animal*; si prior conditio solum adsit, vocatur, *De omni prioristicum*, si addatur posterior, dicitur, *de Omni posterioristicum*, Hoc κατὰ παντὸς differt à dicto de Omni in Syllogismi regulis, quòd istud ad vnam propositionem, sed *Dictum de Omni* ad totum Syllogismum refertur; præterea *Dictum de Omni* solùm subiecti vniuersalitatem requirit, sed Κατὰ παντὸς vniversalitati subiecti perpetuitatem temporis addit.

Secundus Gradus.

Primus & secundus modus dicendi per se.

Καθ' αὑτὸ, seu per se quadrifariam dicitur. Primus est quando prædicatum est de subiecti definitione, *vt Homo est rationalis.* Huius quinque statuuntur prædicata, Genus, 1. Remotum, & 2. Proximum, differentia 3. Remota, & 4. Proxima, & deniq; 5. Definitio

Secundus modus est, quando subiectum est de definitione prædicati; vt *Homo est risibilis.* Huc spectant omnes propositiones quarum prædicata sunt propriæ affectiones.

Dua conditiones.

Vtrique modi duas conditiones requirunt, prima vtrisq; communis est, vt scilicet nexus sit essentialis inter prædicatum & subiectum secunda facit ipsos à se mutuò differre; nam ad primum modum requiritur, vt prædicatum sit de essentia subiecti, ad secundum, vt subiectum sit de essentia prædicati.

Primus modus dicendi per accidens.

His duobus modis *per se* opponitur vnus modus dicendi *per accidens*, quando scilicet nullus est essentialis nexus inter prædicatum & subiectum; *vt Omnis Corvus est niger.*

Hæc

Hæc enim propositio est καθόλου καθ' ἑαυτόν, non autem καθ' αὑτό, seu per se. SECT. 2.

Tertius modus dicendi per se est, quando existentia de substantia dicitur; *vt Socrates est.*

Tertius modus dicendi per se.

Huic opponitur secundus modus dicendi per accidens, cum ex existentia de accidente enunciatur; *vt Albedo est.*

Secundus modus per accidens.

Sed iste tertius modus ad demonstrandum est invtilis, quod illius termini non sint realiter distincti. *Existentia* enim non est res distincta *à re existente*, nec est accidens reale, sed intentionale.

Quartus modus dicendi per se est, cum causa efficiens aut finalis de effectu, aut effectus de ijsdem causis, prædicatur, *vt Iugulatus interiit.* Huic opponitur modus tertius prædicandi per accidens, in quo causa fortuita vel valdè remota, de effectu prædicatur, *vt me ambulante coruscauit.*

Quartus modus dicendi per se, & tertius per accidens.

Καθόλου πρῶτον, quatenùs ipsum est, in quâ attributum de subiecto non tantùm vniversalitèr, & per se, sed etiam primò, immediatè, & reciprocè prædicatur, *vt Omne viuens nutritur.*

Tertius Gradus necessitatis.

Hæc necessitas tum reperitur cum prædicatum subiecto conveniat quatenus subiectum est tale, seu cum reduplicatione subiecti; *sit Corvo simul conueniunt volatus & crocitatio, sed volatus; vt est auis, crocitatio vt est Corvus*; quocirca *Corvus crocitat*, est quatenus ipsum, non autem *Corvus volat.*

Tria sunt prædicatorum genera in hoc necessitatis gradu. Primum est propriorum accidentium, *vt homo est risibilis*; secundum est speci-

Quæ sunt in tertio necessitatis gradu.

SECT. 2. specificarum differentiarum, *vt homo est rationalis*; Tertium est proximarum causarum, *vt quod viuit, moritur.*

Inter dictos necessitatis gradus posterior est semper priori perfectior: primus enim solùm subiecti vniversalitatem notat, cum perpetuitate temporis; secundus addit nexum essentialem, tertius reciprocationem. Quum autèm Aristoteles dicat, quòd *per se*, & *quatenus ipsum* idem sunt, illud intelligendum est de *per se* strictè sumpto, & verum est in primo modo, non nisi differentia proxima, aut tota definitio sit prædicatum; in secundo verò modo semper veritatem obtinet, quòd ibidem affectio de proprio subiecto dicitur; nonnunquam etiam in quarto reperitur, si modò sit nexus definitivus inter causam & causatum, *vt inter Eclypsin & terræ obiectionem*, cum Eclypsis, sine terræ obiectionis mentione causalitèr definiri nequeat.

Reg. 1. Primus gradus necessitatis in omni propositione cuiuslibet demonstrationis cernitur.

Reg. 2. Secundus etiam & tertius vbiq; reperitur, si mediū vtriusq; sit causa demōstratione extremi; vt *Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis*; Ergo, *omnis homo est risibilis* vbi *rationale*, non *risibilitatis* solùm, sed etiam *hominis* causa est: quòd si mediū sit causa solius maioris extremi & non minoris, Propositio & conclusio sunt *Quatenus ipsum* minor verò tā-tū abest, vt *Quatenus ipsū*, habeatur, vt aliquā-do nō sit *per se* v.g. *Omne corpus sphæricū recipit lumen per incrementum*; *sed luna est corpus sphæricum*, Ergo, *Luna recipit lumen per incrementum.* Hic *Luna est sphærica*, est de *Omni* non autem *per se*, nec *quatenus ipsum*, vera tamèn est demonstratio.

Se-

SECT. I.

Secunda conditio.

Secunda conditio demonstrationis est, vt constet ex primis & immediatis. Prima autem seu immediata propositio dicitur, quandò inter eius prædicatum & subiectum nullum intercedit medium, quod sit causa inhærentiæ prædicati in subiecto; *vt omnis homo est risibilis.*

Immedietas duplex.

Propositio duobus modis dicitur prima; seu immediata, vel ratione causæ, quæ nullam habet mediam causam, per quam demonstrari potest; vel ratione subiecti, quandò prædicatum non inest alteri subiecto priori.

Potest autèm propositio esse prima ratione subiecti, quæ non est prima ratione causæ sic *homo est risibilis*, est prima ratione subiecti, quia *risibilitas* primò *homini* inest, non autem ratione causæ, quia *risibilitas homini inest per rationalitatem*; nam *rationalitas* in causando est *risibilitate* prior; sed *homo est rationalis*, vtroque modo est propositio prima, non solùm ratione subiecti sed etiam causæ.

Regula.

In omni Demonstratione maior est immediata ratione causæ, quòd in illa medius terminus cum maiore extremo (cuius causa est) coniungitur: conclusio autem immediata est immedietate subiecti, quoniam in illâ affectio de subiecto dicitur cui primariò convenit. Minor verò immediata est, si medius terminus vtriusque extremi sit causa, aliàs mediata est actu, licet immediata est actu, licet immediata sit potentia, quatenus scilicet resolui potest in vnam immediatam, quæ est definitio subiecti, & indemonstrabilis, vt posteà patebit. Hæc clariùs elucescent, si exemplum subiungamus.

Omne rationale est risibile. Est immediata ratione causæ.

SECT. 2.

Omnis homo est rationalis. { Est immediata ratione causæ & subiecti, quia *rationale* est vtriusque extremi, *hominis* scilicet & *risibilitatis* causa.

Ergo *omnis homo est risibilis*, immediata est ratione subiecti, quia *risibilitas homini primo inest*.

Quòd si *receptio luminis per incrementum* de lunâ probetur *per sphaericam figuram*, vt superiùs demonstrauimus, minor erit, *Luna est sphaerica*, quæ neutro modo est immediata, nec ratione causæ, nec respectu subiecti.

Tertia conditio. Tertia conditio est, vt constet ex notioribus. Ignotum enim per notius semper demonstratur; quocirca necesse est, vt termini sint præcogniti. Quod vt meliùs intelligatur notandum est, quòd quatuor apud Aristotelem recensentur quæsita, duo simplicia. *An sit*, & *Quid sit*; duo complexa; *Quod sit*, & *Cur sit*.

Quatuor quæstiones. An sit. Quæstio *An sit* inquirit, τὸ εἶναι vel subiecti, vel prædicati, *vt An sit Luna*, *An sit Eclipsis*.

Quid sit. Quæstio Quid sit, naturam prædicati aut subiecti seorsim investigat; *vt Quid est Luna, Quid est Eclipsis.* Estque vel *Quid nominis*, vel *quid rei*. Quid nominis declarat, Quid nomen importat, *vt quid significat Eclypsis*? Quid rei naturam & essentiam quæsiti investigat; *Quid est Luna? Quid est Eclipsis?*

Hæ duæ vocantur Quæstiones simplices, quia de terminis simplicibus quærunt.

Quod sit. Quæstio *Quod* seu *vtrum sit* investigat, vtrùm prædicatum subiecto insit; vt *vtrum Luna Eclipsin patiatur*.

Quæstio *propter Quid* seu *cur sit*, inquirit ob

ob quam causam prædicatum subiecto tribuitur: *vt cur Luna Eclipsin patiatur.*

Hæ duæ vocantur complexæ, quia de integris propositionibus quærunt.

Quatuor istæ quæstiones ad duas reduci possunt: nam sub *Quid sit* continetur, *An sit*, sub *Cur sit*, *Quid sit*; proinde *Quod sit & Cur sit* sunt perfectæ quæstiones, *An sit & Quid sit* imperfectæ. *Quomodo sunt duæ tantum.*

Subiectum & Principia in omni demonstratione præcognoscenda sunt, & *quid nomen significat, & quod sint.* Affectio solùm præcognoscitur, *Quid nomen significat*; *Quod enim & Cur sit* demonstratione probantur. Atque hinc est quòd Aristoteles dicit demonstrationem à notioribus procedere; non solùm quòd propositiones sunt conclusione notiores, sed quia subiectum de quo demonstratur, & principia per quæ demonstratur, simul sunt affectione notiora. *Reg.*

Quarta conditio cum tertiâ concurrit, & ex illâ consequitur, quia enim principia siue causæ sunt notiores, ideò priores sunt conclusione. *Quarta conditio.*

Prius autem & notius aliud alio duobus modis dicitur, *vel nobis*, vt sunt omnia singularia, quæ sensibus obijciuntur; *vel natura*, vt vniuersalia, quæ intellectui solùm sunt obvia, *sic causæ naturâ*, sed *effectus nobis sunt notiores.* *Prius dicitur dupliciter.*

Demonstratio primariò & præcipuè ex notioribus naturâ procedit, quia conclusionis proximam causam ostendit, & ex consequenti à notioribus nobis: quia omnis demonstratio ob nostram cognitionem fit; quando enim causa semel nobis innotescit, melius

apprehendimus effecta. Hinc est quod demonstrationes aliæ procedunt à notioribus nobis ordinem naturæ seruantibus, aliæ ex notioribus nobis ordine naturæ contrario vtentibus; illæ procedunt à causis ad effecta, hæ ab effectis ad causas, illæ sunt διότι hæ autem ὅτι.

Quinta conditio. Vltima conditio est, vt constet ex causis conclusionis, id est, vt medius terminus sit causa affectionis, quæ in conclusione de subiecto prædicatur.

Quatuor causarum genera.

Causarum verò quatuor sunt genera: duo sunt	Interna	Materia, Forma,	quæ rem intrinsecùs constituunt
	Externa	Efficiẽs, Finis.	quæ extrinsecus ad subiecti naturã conducunt.

Materialis. Causa materialis est, ex quâ aliquid fit.

Formalis. Formalis est, quæ dat intrinsecam essentiam substantijs & accidentibus. *Sic quando ranæ fiunt ex terra putredine*, putredo terræ materialis, & ranæ forma formalis causa dicitur.

Efficiens. Causa efficiens est, quæ suâ actione aliquem producit effectum; Estque vel externa, quæ semper cum actione aut passione agit, *vt quando ignis aquam calefacit*; vel interna, quæ solâ emanatione effectum producit, *vt rationalitas risibilitatem.*

Finis. Finis est, cuius gratiâ res fit.

Quomodo omnes causæ demonstrationem ingrediuntur. Omnia hæc quatuor causarum genera demonstrationem ingrediuntur sed duo externa primariò, & eorum ratione interna. Materia demonstrationem illam ingreditur, in qua aci-

cidens per causam internam demonstratur, SECT. 2.
quia medium tale est, quale requirat materialem necessitatem cum formâ vnitam, vndè affectio emanaret; vnde materia dicatur *conditio sine qua non*, formam cõcomitans. Forma verò est medium, quatenùs est causa efficiens interna, quæ per fluxionem efficit aliquid. Restat igitur quòd efficiens & finis propriè & primariò sunt media demonstrationis: vtriusque nos exempla ponemus.

Inter quod & solem terra interponitur, id lumine deficit.

Inter lunam & solem terra interponitur; lumine igitur *luna deficit.*

Item, *Qui vult esse sanus, is non vult cibum ad os ventriculi fluitare.*

Ambulans post cœnam vult esse sanus, non vult igitur *fluitare cibum.*

Prior demonstratio pro suo medio habet causam efficientem, posterior finalem.

Corollaria.

Ex his quæ de vtrâque definitione diximus, hæc colligenda sunt corollaria.

Primò quod ad terminos attinet. Subiectum in demonstratione semper est minor terminus, & aliquandò est substantia, *vt homo*, aliquandò accidens *vt numerus*.

2 Affectio seu propria passio semper est maior terminus, & accidens, aut ab internâ, aut ab externa causâ constitutum; nunquam verò substantia potest demonstrari: vt enim res demonstretur, requiritur primò, vt causam extra essentiam habeat; secundò, vt per se & necessariò substantiæ insit; per vtramque conditionem excluditur substantia, & per secundam accidens commune, solum igitur relinquitur proprium accidens, quod dicatur demonstrabile.

Quid est demonstrabile.

 3 Prin-

3 Principium in demonstratione potissimâ est proxima causa affectionis, & nonnunquã minoris extremi est causa, quando nimirùm affectio demonstranda ab internâ causa per emanationem fluit; semper verò maioris, qualiscunq; fuerit affectio.

4 Quod autem ad propositiones quæ demonstrationem ingrediuntur spectat, hoc solum in iis obseruandum, maiorem & conclusionem semper esse immediatam, illam primitate causæ, hanc primitate subiecti; minonorem verò tunc temporis reperiri immediatam cum medium est subiecti forma, & vtriusque extremi causa, aliàs semper esse mediatam.

CAP. IIII.

De diuisione Demonstrationis.

Demonstrationis prima diuisio.

DEmonstratio non vt vnivocum, sed vt analogum genus primò diuiditur in demonstrationem propter Quid, & demonstrationem Quod.

Demonstratio propter quid.

Demonstratio propter Quid, est prima & principalis species quam superiori capite definiuimus.

Demonstratio quod.

Demonstratio quod, est quâ res quidem esse ostenditur, causa tamen eius non indicatur, sed effectus.

Quomodo differunt.

Hæ duæ species conueniunt, quòd ambæ fiunt à propositionibus veris, prioribus & notioribus conclusione; sed differunt quòd διὰ ὅτι procedit à prioribus secundum naturam, & causis proximis conclusionis; at ὅτι, vel ab effectu procedit, & sic non erit à causâ; vel si a causâ procedat, erit remota non proxima, & sic non constabit ex immediatis.

Demon-

SECT. 2.

Demonstratio propter quid subdiuiditur in { Simplicem. Compositam. } *Demonstratio propter quid, duplex.*

Simplex demonstratio est, cuius ambæ propositiones sunt indemonstrabiles; vt sunt omnes illæ demonstrationes, quarum medium est pars essentialis subiecti; *vt cum risibile de homine per rationale demonstretur.* *Simplex.*

Composita est cuius minor propositio est mediata, ideoque eget prosyllogistica demonstratione, donec ad ambas propositiones indemonstrabiles peruenimus; vt *si quis probaret ignum tendere sursum, propter summam eius leuitatem, tanquam per causam proximam* huiusmodi esset eius demonstratio. *Composita.*

Quodcunq; leue est, tendit sursum Ignis leuis est, Ergo, *tendit sursum*. Sed quia hæc minor propositio, non est per se immediata, ideo priori aliqua probatione opus est, quam vocant prosyllogisticam qua *leuitatem de igne* demonstremus: vt quod *summe calidum est*, est *summe leue, Ignis est summe calidus*; Ergo, *est summe leuis*. Atqui cum ad primam causam adhuc non sit perventum, vlterior probatio est introducenda, in qua caliditatem de igne per suam formam nobis ignotam demonstremus: vt, *Quod formam ignis habet est summe calidum, Elementum ignis habet formam ignis*, Ergo, *Elementum ignis est summe calidum*. Cuius demonstrationis minor cum sit immediata, vlterius demonstrari non potest, & proinde acquiescendum est in ipsa, tanquam in prima causa iam inventa.

Inter hos syllogismos, primus vocatur syllogismus principalis; reliqui dicantur prosyllogismi seu Epagogici, qui ducunt nos ad primum & principalem syllogismum ritè intelligendum. Atque hinc apparet quomodò *Nota.*

omnes

omnes demonſtrationes ex immediatis con-ſtant, vel ſcilicet actu, vt Simplex; vel poteſtate, vt Compoſita, cuius minor per multas reſolutiones tandem euadit immediata.

Demonſtratio quod duplex.

Demonſtratio quod duplex eſt, vel enim procedit à { Cauſa remotâ ad effectum. Effectu ad cauſam.

A cauſa remota.

Demonſtratio à cauſa remotâ plerumque negatiua eſt, & extruitur in ſecunda figurâ in *Cameſtres*, cuius ratio eſt, quoniam cauſa remota, vt plurimùm, eſt amplior ſuo effectu, quare eâ poſitâ non neceſſariò ponitur effectus, ſed ablatâ tollitur.

In hac demonſtratione, effectus eſt maior extremitas, qui cum cauſa remotâ in maiori propoſitione coniungitur, ſubiectum eſt minor, qui in minori à cauſa remotâ amouetur, vt ab ipſa non conſtitutus v. g. ſi probandum eſſet *Parietem non reſpirare*, quia *non eſt animal*, ad hunc modum extrueretur ſyllogiſmus.

Ca *Omnes eſt animal reſpirans.*
meſ *Nullus paries eſt animal.* Ergo,
tres *Nullus paries reſpirat.*

Fieri tamen poteſt, vt affirmatiuè in prima figura concludatur nempe ſi contingat cauſam remotam cum effectu reciprocari, vt *Quacunq; animam habent nutriuntur, Planta habet animam.* Ergo, *planta nutritur.* Anima enim non eſt cauſa proxima nutrionis, ſed potentia vegetatiua ab anima dimanas. Sed quia hoc raro contingit, huiuſmodi Syllogiſmos Ariſtoteles non reſpexit.

Quando demonſtratio ab effectu locum habet.

Demonſtratio ab effectu ad cauſam, locum habet, quando effectus eſt notior, & cauſa ignotior: tunc enim oſtendimus ineſſe alicui

causam, eo quod eidem inest effectus, vt *in naturali corpore probamus materiam inesse, quia eidem inest generatio, & naturale corpus motorem habere æternum, quod æterno cietur motu.*

Quomodo extruitur. Hæc demonstratio potest extrui in prima figura & affirmatiua, quia posito effectu ponitur causa; potest etiam fieri negatiua, & in secunda si alicui subiecto causam non inesse ostendimus, eo quòd eidem non inest effectus.

Ex his quæ de prima diuisione demonstrationis secundum materiam diximus, iampridem elucescat quid de secunda eius diuisione quoad formam dicendum sit.

Secunda diuisio demonstrationis.

Bifariam enim diuiditur, in
- Secundum Qualitatem, in
  - Affirmantem.
  - Negantem.
- Secundũ Quantitatem, in
  - Vniuersalem.
  - Particularem.

Vniuersalis demonstratio. Vniuersalis demonstratio est quæ effectionem ostendit de vniverso subiecto, cui primo inest.

Particularis. Particularis demonstratio est, quâ ostenditur prædicatum non de toto subiecto sed de aliqua eius parte. Hinc patet quod vniuersalis & particularis demonstratio longè differunt ab vniversali & particulari Syllogismo, in prioribus Analyticis.

Quomodo à particulari Syllogismo differt. Demonstratio enim vniversalis dicitur non à subiecto sed à prædicato vniversali, quando scilicet prædicatum inest primo & immediato subiecto, quòd si affectio quæ demonstratur toti generi competat & demonstretur de specie, aut speciei conveniat, & demonstretur de Indiuiduo, vocatur particularis; quia affectio de parte sui subiecti demonstratur & non de toto. Exemplo res fiet clarior.

Omne

SECT. 2. *Omne quod habet in se principium motus est mobile.*
Omne corpus naturale habet in se principium motus. Ergo
Omne corpus naturale est mobile.

Hæc demonstratio est vniversalis, quia mobile de *corpore naturali* demonstratur, tanquam de subiecto proprio & immediato.

Quòd si dicam,
Quod habet in se principium motus est mobile:
Omnis homo habet in se principium motus. Ergo
Omnis homo est mobilis.

Hic Syllogismus licet in Prioribus Analyticis pro vniversali habeatur, quoniam conclusionis subiectum est vniversale, cuilibet enim homini competit vt sit mobilis, tamen in Posteriorbus dicitur particularis, quia affectio illa mobilitatis homini non competit, vt primo subiecto; *non enim homo quà homo, sed qua corpus mouetur.*

Reg. Demonstrationes particulares primò falsæ sunt, quia propria affectio primo subiecto in illis non attribuitur; secundò sunt supervacaneæ, qui enim nouit affectionem suo primo subiecto convnenire, novit etiam ipsam omnibus illius subiecti speciebus attribui posse; & proinde demonstrationes particulares sub vniversalibus continentur.

Affirmans. Affirmans demonstratio est, in qua propria affectio affirmatur de suo primo subiecto.

Negans est, in qua propria affectio remouetur ab eo, quod neque est proprium subiectum, nec illius species.

Affirmatiuæ demonstrationes præstantiores

res sunt negativis: non enim propriæ affectiones de ijs rebus quibus non insunt, sed potius quibus insunt, demonstrari solent & debent.

Reg. 2. Demonstratio potissima, seu *propter Quid* semper esset vniuersalis & affirmativa, & proinde aptissimus concludendi modus est Barbara: nam causa quatenus causa semper respicit effectum, cum quo prædicationem non faciet nisi vniversalem affirmativam.

Nota. Fiat etiam demonstratio propter Quid, in secunda figura & in *Camestres*, quando effectum non inesse ostendimus, quia eius causa non inest, vt *bestiam non esse risibilem, quia non est rationalis*, sed hæc minus in vsu est & cadit à perfectione demonstrationis; sic enim distrahitur accidens à proprio subiecto, & alij apponitur, cui neque per se est, nec vllo modo inesse potest.

Reg. 1. Demonstratio *Quod* à causa remota, est negativa; ab effectu vel affirmativa esse potest vel negatiua. Hæc ex ijs quæ prius statuimus sat manifestò apparent.

CAP. V.

De affectionibus Demonstrationis.

Affectiones duæ. DVæ sunt affectiones demonstrationis { Regressus. / Conversio in definitionem.

Regressus. Regressus est illa demonstrandi ratio, qua prius causam ignotam ex affectu notiore colligimus; postea verò regredientes ex eadem causa eundem effectum demonstramus.

Quum enim semper à notioribus sit progre-

SECT. 2. gredIendum, effectus verò sæpenumero elucescit, quando causa est incognita, ideò eum quandoque sumimus, vt levem cognitionem causæ habeamus; causâ autem semel inuentâ de ea discurrit intellectus, vt exquisitam eius notitiam haberet, quâ partu regredimur rursus ad effectum per eam causam demonstrandum.

Tria in regressu consideranda.

Tria igitur in regressu sunt ordine consideranda, primo demonstratio causæ ab effectu: secundo inuentæ causæ accurata consideratio, tertio demonstratio effectus ex illâ causâ, *vt eum demonstretur materiam esse in corporibus naturalibus, quia in iisdem reperitur generatio*; *per Generationem*, quæ est materiæ effectus ad *materiam cognoscendam* perveni-mus; sed quia *materia confusè* tantùm adhuc cognoscitur, ideò secundo loco in eius consideratione paululum insistimus investigando *quid illa materia sit? num à priuatione differt? quomodo nulli formæ particulari sit addicta.* Vltimò quidditate eius cognitâ, exploramus tandem essentialem nexum inter causam & effectum, & regrediendo inquirimus quomodo hæc materia generationem producit, atq; ita causa & effectus, quæ primò aspectu confuso quodam modo fuerunt cognita, hoc progressu & regressu distinctè nobis innotescunt.

Exempli gratia.

Ab effectu ad causam.

Quod non scintillat id propè est.
Planetæ non scintillat: Ergo, *propè sunt.*

A causa ad effectum.

Quod propè est, id non scintillat.
Planetæ propè sunt, Ergo, *non scintillant.*

Vbi

SECT. 2.

Vbi notandum quod in hoc regressu, sicut in quolibet alio, maior propositio simpliciter convertitur, vnde necesse est mediam quandam intervenire considerationem causæ, vtrum nimirum proxima sit & immediata: nam si effectu latiùs pateret, cum ipso non converteretur, minor verò prioris Syllogismi est posterioris conclusio, & conclusio eius minor: atque ita perficitur regressus. Regressus enim propriè cernitur in posteriori demonstratione, quando à causa ad effectum regredimur, sed quia regredi non possumus, nisi priori modo progressum faceremus, vtriusq; demonstrationis respectu Regressus dicitur.

Quomodo regressus extruitur.

Conversio Demonstrationis in definitionem est transpositio terminorum Syllogismi demonstratiui in veram causalem definitionem accidentis. Dico [in definitionem accidentis] quia ea definitio quæ est demonstratio positione differens non est *Substantia*, si quidem eius nulla habetur demonstratio, sed *Accidentis* tantùm; idcircò de eius definitione dicendum est. Definitio verò accidentis est triplex. Nominalis quæ genere & subiecto constat, vt *eclipsis est defectus luminis in luna, tonitrus est sonus in nubibus*. Vocatur nominalis quia causam rei non continet, licet alio sensu appelletur essentialis; quatenus subiectũ differẽtiæ seu formæ locũ tenet. quod cũ genere adiunctum essentialẽ definitionẽ constituit.

Conuersio demonstrationis in definitionem.

Triplex definitio Nominalis.

Causalis, quæ accidentis causam declarat, *vt Eclipsis est interpositio terræ*, & hæc impropriè dicitur definitio, quia non ipsam quidditatem, sed quidditatis causam declarat. Tertia definitio est quæ ex nominalis & causalis vnione oritur, *vt Eclipsis est defectus luminis in luna ortus ex terra interpositione*. Toni-

Causalis.

Ex vtrisq; conflata.

SECT. 2. *Tonitrus est sonus in nubibus propter ignis extinctionem.*

Prima definitio est demonstrationis conclusio, secunda est eius principium, tertia est ipsa demonstratio situ terminorum differens, v.c.

Inter quod & Solem terra interponitur, illud deficit lumine,
Inter Lunam & Solem terra interponitur.
Ergo,
Luna deficit lumine.

Huius demonstrationis Conclusio est definitio nominalis Eclypseos. Medius terminus est eiusdem definitio causalis, tota demonstratio est perfecta, eius definitio ex vtrisque conflata.

Circulus quid. His duabus affectionibus alij Circulum addunt.

Syllogismus verò circularis est, quando ex maiore conversa & conclusione minorem colligimus, & similiter ex minore conversa & eadem conclusione maiorem, sic enim ex propositionibus conclusionem & vicissim ex conclusione propositiones ostendimus. Vt

Omnes illi quos Deus absoluit sunt absoluti à peccato.
Omnes eos qui sunt in Christo Deus absoluit. Ergo.
Omnes qui sunt in Christo sunt absoluti à peccato.

Iste Syllogismus ad hunc modum in orbem reducitur.

Quos Deus absoluit, ij sunt in Christo:
Qui absoluti sunt à peccato: Deus absoluit.
Ergo,
Qui absoluti sunt à peccato, sunt in Christo.

Cir-

Circulus à regressu differt, quod in regressu est processus primò à notioribus secundum nos, deinde à notioribus secundum naturam; sed Circulus est quando vterque processus est à causa proxima, quod impossibile est, propterea quod sequeretur idem respectu eiusdem causam esse & effectum, notius & ignotius, prius & posterius secundum naturam. Licet igitur regressum inter affectiones admittimus, Circulum tamen vt idem per idem probantem reijcimus & respuimus.

Sect. 2. Quomodo à regressu differt. Cur improbandus.

Cap. VI.

De Inductione Demonstratiua.

Finito Syllogismo Demonstrativo ad Inductionem procedo, tum quia est argumentationis demonstratiuæ species, tum quod ad Syllogismum demonstrativum ritè intelligendum maximè confert.

Inductio est proprium instrumentum, quo principia scientiarum quæ per se nota dicuntur, nobis innotescunt: vt si quis dubitet *vtrum totum sit maius sua parte*, visibili aliquo obiecto ostendimus, *hoc totum esse maius sua parte, itemq; aliud, eodemq; modo tertium, & proinde omne totum esse sua parte maius.*

Inductio quid.

Ad Inductionem tria præcipuè requiruntur, primò, vt materia sit necessaria, secundo vt sit essentialis connexus subiecti cum prædicato, tertio, vt principia Inductione probanda sint naturaliter nota per se, & leui probatione egeant.

Quæ ad ipsa requiruntur.

Per duas priores conditiones Inductio demonstratiua distinguitur à Dialectica, cuius ma-

Quomodo differt ab inductione.

materia non est necessaria, & terminorum nexus est tantùm accidentalis, & probalis: vnde ad principium dialecticum confirmandum multæ Inductiones vix sufficiant, ad Demonstrativum verò vna aut altera satis superque est propter maximum & euidentem terminorum nexum. Per vltimam conditionem Inductio demonstratiua à demonstratione ab effectu differt; cuius officium est demonstrare principia naturaliter ignota, ad quorum inventionem Inductio parùm habet efficaciæ, quia forsan res invenienda non est per se sensilis, *vt materia prima quæ per Generationem inuenitur.* Inductione verò inveniuntur ea principia, quæ sunt nota vt primùm ostensecundum naturam, & proinde percipiuntur, duntur.

Quomodo à demonstratione ab effectu.

Cap. VII.

De Syllogismo Didascalico.

Quis est vsus Syllogismi Didascalici.

VT Syllogismo Demonstrativo vtimur in scientijs, ita didascalico in artibus & practicis disciplinis, quando in ipsis aliquid probamus ex propria rei de qua agitur naturâ, & per causam; in ijs enim, sicut in scientijs, propria principia & reperiri possunt & explicari; & licet ars res singulares efficit, vtitur tamen principijs vniversalibus per experientiam collectis in operando. *Sic in Medicina, quæ est ars factiua, probo hæc dulcia huic febricitanti non conuenire, quia omnia dulcia vertuntur in bilem: Item in Ethicis probo fœlicitatem esse in numero honorabilium, quia principium est cuius gratia omnes omnia agunt, item,*

item, virtutem moralem esse laudabilem, quia in mediocritate est posita.

Differt à Syllogismo Dialectico, quia Didascalici principia sunt propria, Dialectici verò communia; a Demonstrativo quia alter circa artes, alter circa scientias versatur; aliàs Demonstrativus & Didascalicus per omnia conveniunt, & proinde ab vberiori tractatione abstineo, quoniam quæ de Didascalico sunt dicenda dilucidò satis apparent in ijs quæ de demonstratione iampridem diximus.

Quomodo differt à demonstratiuo, quomodo à Dialectico.

CAP. VIII.

De Syllogismo Topico & locorum diuisione, inprimis verò de locis Personarum.

ARgumentatio τοπικὴ seu probabilis est, quæ in vtranque contradictionis partem ex principijs communibus opinionem parit.

Argumentatio probabilis.

Communia principia voco vel axiomata Topica, quæ per omnes disciplinas se expandunt, vt *Cui conuenit vnum coniugatorum, eidem competit Definitum* : vel sunt propositiones probales, quæ omnium aut plurimorum hominum iudicijs consentiunt, quæ ideò dicuntur Communia principia, quia non ex ipsarum rerum de quibus natura, sed ex communi opinione trahuntur, vel denique sunt propositiones quæ vni quidem disciplinæ propriæ sunt, sed pluribus quæstionibus in eadem disciplina sunt communes. v.g. *Omne corpus vi sentiendi preditum est animal,*

Communia principia quæ dicantur.

ad

SECT. 2. *ad naturalem philosophiam propriè spectat, sed quia probationi plurium quaestionum inseruit, vt quando quaeratur de homine, leone, equo an sint animalia,* non iniuria inter probationes Dialecticas enumeretur.

Opinionem parere. Opinionem verò parere est producere incertam & debilem cognitionem eorum, quae aliter se habere possunt.

Quomodo argumentatio probabilis differt à necessaria. Tribus modis argumentatio probabilis à necessaria differt: necessaria vnam contradictionis partem statuit & confirmat; probabilis circa vtramuis eius partem aequaliter versatur; necessaria constat ex principijs proprijs, probabilis ex communibus; necessaria firmam cognitionem parit, probabilis solummodò opinionem.

Haec autem opinio per certas rationes hominum animis infunditur, quae vulgo appellantur, τόπικα, seu probabilia argumenta.

Argumentum. Argumentum est quod ad aliquid arguendum est affectum.

Arguere. Arguere autem est vim quandam habere, quâ alterum accipiat aliquam lucem, vt appareat quale sit & quomodo eius ratio se habeat.

Haec argumenta ex Locis Topicis depromuntur.

Locus Topicus quid? Locus verò topicus est sedes argumenti, seu index, demonstrans ex quo fonte sumendum sit argumentum, quo confirmanda est propositio, de quâ dubitatur.

Quotuplex. Loci sunt duplices: Personarum, aut Rerum.

Loci Personarum sunt, quibus vtimur in laudibus aut vituperijs, personarum, & licet hi loci Rhetorici appellentur, & pertinent

ad

ad demonstrativum genus, obiter tamen Dialecticis materijs nonnúquam intexuntur, & proinde leui penicillo hic breuiter sunt delineandi.

Vndecim sunt personarum loci, à quibus ad earum laudem aut vituperium argumentemur. *Loci personarum vndecim*

1 A Nomine, vt ex *Verris nomine Cicero ostendit eius rapacitatem, à Chrysogoni eius auaritiam.*

2 A Natura, in qua primò spectamus eius nationem, *vt Germanus est, Ergo ferox. Pœnus ergo fœdifragus.* Secundò sexum, *A natura enim comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad forensem.* Tertiò ætatem, *ætatem enim aliam aliud factum decet,* vt inquit *Plautus: temerè eum fecisse non est mirandum, Puer enim est.*

3 A victu, in quo consideramus primò parentes, *quorum mores plerunq; in sobolem propagantur*: posteà præceptores, *Magna est enim vis disciplinæ & studiorum.* vltimò socios, *nam bonus vir bonorum consuetudine gaudet.*

4 A fortuna, sub qua comprehenditur tum vitæ genus, *vtrum in ocio an in negocio vixit,* tum mors ipsa, *nam qualis vita, finis ita.*

5 Ab habitu corporis consuetudine laboris comparato.

6 Ab affectione animi, vtrùm in literis progressum fecit.

7 A studijs in quibus maximè versatus est.

8 A Consilijs, vtrùm nullam inhonestam rem voluit.

9 A Factis, quæ plerumque cum vitæ genere conveniunt.

10 A

10 A Casu, Honestæ enim causæ ornantur secundis euentibus.

11 Ab oratione, quæ studiorum & consiliorum est index, vt si dicamus; *Optimè sensit & loquutus est de religione, quamobrem bonis viris nihil habeo periculi est pertimescendum.*

Loci rerum tres.

Loci rerum ostendunt, quid in rebus ipsis sit considerandum, suntque trium generum.

Interni.

1 Interni, qui argumenta subministrant, vel ad naturam rei de qua quæritur, vel ad ea quæ ipsam comitantur pertinentia.

Loci à substantia rei desumpti sunt. A Definitione. A Genere. A Differentia. A Materia. A Forma. A Toto & Parte.

Loci substantiam concomitantes sunt quinque, à Generatione, a corruptione ab vsu, à Proprio, à communiter accidentibus.

Externi.

2 Externi qui continent argumenta, quæ à natura rei, de qua quæritur, omnino separata sunt; suntque vndecim. 1 A Causa efficiente, 2 A Causa finali, 3 Ab Oppositis, 4 A Disparatis, 5 A Comparatis, 6 A Circumstantijs, 7 A Signis, 8 Ab Antecedentibus & Consequentibus, 9 A Necessario & Impossibili, 10 Ab Exemplis, 11 Ab Auctoritate.

Medij.

3 Medij qui continent argumenta, quæ partim conveniunt cum re de qua quæstio est, partim differunt: suntque duo, A Coniugatis, à Diuisione. Loci igitur viginti quatuor sunt; vndecim Interni, & totidem Externi, duo autem medij, inter quos Exemplum & Authoritas Inartificiales habentur, quia in sua arte vim arguendi non habent, sed extra ipsam in testantis auctoritate omnes eorum vires sitæ sunt; cæteri omnes artificia-

les

les, quia ex insita vi & propria quasi arte arguunt. SECT. 2.

Denique vbique hoc obseruandum, quod Locus Topicus nonnunquam sumitur pro notatione seu titulo axiomatis, sic alius est locus à Definitione, alius à Genere, alius à Toto: quandoque pro præcepto, Maxima, seu problemate dialectico, quod ex loco illo Topico colligitur, & in eodem fundatur: vt *Cui conuenit definitio, eidem conuenit definitum. Posito proprio ponitur eius subiectum*, sunt duo axiomata, quorum alterum petitur à Loco seu titulo definitionis, alterum à loco proprij. *Obseruatio.*

Nos in hac tractatiuncula primò titulum proponemus, inde ostendemus quæ Maximæ, seu problemata, ex eodem titulo sunt exhaurienda; à locis internis exordium sumentes, per medios transibimus, & tandem in externis terminabitur hæc tractatio.

CAP. IX.

De locis internis ad rei essentiam spectantibus, scilicet à Definitione, Genere & Specie, Differentia, Materia, Forma, Toto & Parte.

Loco à definitione vtimur, quando indagare volumus definitionem alterius extremorum, hoc est, subiecti aut prædicati quæstionis, quæ inuenta ponitur loco medij, vt cognoscatur, vtrùm extrema illa coniungi an separari debent: *sic Petrum hominem esse probamus, quia est animal rationale.* 1 *A definitione*

Huius maxima est.

A definitione ad definitum & viciſſim à de-

SECT. 2. finito ad definitionem argumentamur & affirmatiuè & negatiuè,[nam]cui tribuitur vel adimitur definitio, eidem etiam tribuitur & adimitur definitum, *vt homo est corpus animatum sensile.* Ergo,*est animal: Simia non est animal rationale*; Ergo, *non est homo.*

Definitioni affinis est Descriptio, quando enim rei essentia nos latet, sufficit ipsam quandoque describere,& rudi Minerua accidentali aliqua delineatione depingere.

Maxima

A descriptione ad descriptum;& à descripto ad descriptionem tum affirmatiuè tum negatiuè concludi potest; vt *Mansuetudo est habitus laudabilis, est igitur virtus. Nullus habitus laudabilis vilescere facit possidentem*: Ergo,*non virtus.*

Definitioni & Descriptioni addamus Notationem nominis, seu Etymologiam, quæ vt in omni verbo non reperitur plurima enim sunt vocabula primitiua) ita eodem modo non semper deducitur,sed aliquando à causa, *vt homo ab humo*, aliquando ab effectu,*vt terra dicitur Vesta,quia vi stat*,aliquãdo à dissentaneis, vt *lucus à non lucendo*,nonnunqqam à comparatis, vt *Pyropus quia flammas imitatur.*

Maxima.

A notatione affirmatiuè & negatiuè concludimus; nam, cum quocunque conuenit notatio cum eodem conuenit notatum, & cum quocunque non conuenit,nec istud conueniet; vt *Studio sapientiæ non incumbit* Ergo,*non est Philosophus, Incumbit*,Ergo,*est Philosophus.*

A Genere argumentamur & à specie, quando probamus aliquod generi non competere, quia speciei non competit, aut Speciei non conuenire, quia Generi non conuenit. 2 *A Genere.*

Maxima.

1 Quicquid remouetur à Genere remouetur à Specie, vt *Nullum animal est incorporeum*, Ergo, *nec homo est incorporeus*; quod autem de Specie negatur non necessariò de genere negatur, vt *homo non latrat*, non sequitur, Ergo, *Nullum animal latrat*, quia Species est genere angustior.

2 Quodcunque attribuitur generi, non statim attribuitur speciei, nisi vniuersale signum sit appositum, vt *Datur animal rationale*: Ergo, *datur brutum rationale*, non rectè sequitur quia, *omne animal non est rationale*. Quòd si nota vniuersalis addatur, statim sequetur argumentum, vt *Omne animal est sensile*. Ergo, *brutum sentit*; *Sensibilitas enim cuilibet animali conuenit*.

3 Quod non alicui speciei conuenit, illud generi non competit; *vt nec ruta, nec saluia, nec aliqua alia species plantarum videt*: Ergo, *nulla planta videt*.

4 Quod vni aut alteri speciei conuenit, illud etiam generi competit, sed particulariter. *Temperantia versatur circa voluptates moderandas*: Ergo, *aliqua virtus circa voluptates moderandas*.

Locus à Differentia petendus est, quando probaremus speciem de re aliqua affirmari posse, aut negari, quia de eadem verificatur aut negatur eius differentia specifica. 3 *A Differentia.*

Maxima.

Cui tribuitur differentia ſpecifica, eidem attribuitur ſpecies; à quo verò ſeparatur, ab eodem ſeparatur ſpecies, vt *rationale eſt, igitur homo eſt, Non eſt homo,* Ergo, *non eſt rationale.*

4 *A Materia.* A Materia argumentum ducitur quando probamus aliquid fieri poſſe, quia præſtò eſt materia ex qua conficitur.

Maxima.

1 Poſito & affirmato materiato, ponitur & affirmatur materia.

Notandum autem eſt quòd duplex eſt materia, vel Permanens, quæ in re materiata ſeu effecta permanet, vt *lapides & ligna ſunt materia domus,* vel Tranſiens quæ non manet in re effecta, ſed mutatur; *Ita farina & aqua ſunt materia panis*: In permanente cauſa valet argumentum ab eſſe materiati ad eſſe materiæ, vt *annuli aurei ſunt,* ergo, *aurum eſt*; in tranſeunte verò valet ab eſſe materiati ad fuiſſe materiæ, vt *Panis eſt,* ergo, *farina fuit.*

2 Sublato materiato non tollitur materia: vnde non ſequitur, *Aurei non reperiuntur annuli,* ergo, *nec aurum, Panis non eſt,* ergo, *non eſt farina.*

5 *A Forma.* Ratio à Forma ducitur, quando probatur Formatum actu non dari, quia eius forma non poteſt aſſignari.

Maxima.

1 Poſita forma ſubſtantiali res ipſa ponitur & ſublata tollitur. *Vt Terra non viuit quia non habet animam vegetatiuam. Homo eſt, quia anima rationali eſt præditus.*

2 Po-

2 Posita forma accidentali ponitur res ipsa quæ denominatur, & sublata tollitur: *vt hoc lignum habet formam mensæ*, ergo, *est mensa; non habet figuram nauis*, ergo, *non est nauis.*

3 Tantum vnaquæque res potest, quantum eius forma permittit; *Ignis enim calefacit mediante calore, quo cessante desinit operatio.*

A Toto & Parte ducuntur argumenta, quum probaremus aliquid parti inesse, quia toti subiecto idem inest, aut toti non inesse, quia nulli parti communicatur. 6 *A Toto & Parte.*

Maxima.

1 Positis omnibus partibus integralibus & essentialibus, totum integrale & essentiale sigillatim ponitur; vna verò principali parte destructa, totum concidit; *vt si fundamenta sint iacta, paries sit structus & tectum impositum, Domus extruitur. Quòd si corpori humano semel præcisum sit caput, aut euolauit anima, non amplius est homo.*

2 Quod essentialiter toti subiecto inest, illud partibus inesse dicitur, quod autẽ nullis partibus insit, nec toti inerit simpliciter: vt *Augmentatio essentialiter corpori vegetanti inest*, ergo, *cuilibet parti inest. Nec Iudæi, nec Gentes iustificantur per legem*, ergo, *Nullus homo iustificatur operibus legis.*

Cap. X.

De locis substantiam concomitantibus, ductis à Generatione, à Corruptione, ab vsu, à proprio, à communiter accidentibus.

A Generatione rei locum petimus, quando probaremus rem aliquam bonam esse vel malam, quia eius ortus bonus erat vel malus. 7 *A Generatione.*

Maxima.

1 Quorum ortus est bonus, ea etiam sunt bona, sin ortus per se fit malus, ea semper sunt mala: *vt Institutio & ordinatio coniugij est bona, Ergo ipsum quoq; coniugium est bonum. Aliena bona vi detrahere est simpliciter malum, ergo opes eo modo acquisita sunt simpliciter mala.* Intelligenda autem est hæc maxima de ortu per se, non per accidens: *vt Generatio hominis est per se bona, per accidens tamen fiat mala, si nimirum sit illegitimus, vel hominem improbum, Ecclesiæ pestem, aut Reipub. labem producat.*

Cautio.

2 Si genita sint bona, ipsorum generatio est bona, sin mala, malus erat ortus, *vt Eruditio est bona, ergo literis inuigilare, doctos præceptores audire, studiis incumbere est bonum, quia his mediis acquiritur eruditio.*

8 *A Corruptione.*

A Corruptione pari ratione argumentamur ac à Generatione, quando nimirum res bonas aut malas fuisse ab earum exitu probemus.

Maxima.

1 Quorum corruptio vel interitus malus est ea sunt bona, quorum verò corruptio est bona ea sunt mala. *Vt Obliuio literarum est mala*, Ergo. *literæ sunt bonæ: Carnis & veteris hominis crucifixio est bona*, Ergo, *vetus homo est quid malum.*

2 Si corrumpenda sint mala, corruptio est bona; sin corrupta sint bona, corruptiones malæ sunt. *Vt Imago Dei in homine fuit quid bonum*, Ergo, *corruptio eius mala est: peccata sunt mala*, Ergo, *eorum abolitio est bona.*

SECT. 2.

AB vsu rerum, argumentum frequens est & vtile dum ex vniuscuiusque rei vsu, ipsius bonitatem aut malitiam inquirimus. 9 *De Vsu.*

Maxima.

Quod bonum vsum habet idipsum bonum est, & è contrà; cuius verò malus est vsus idipsum est malum. *Cognitio Philosophia bonum habet vsum*, Ergo, *Philosophia bona est. Venenorum malus est vsus*, Ergo, *Venena mala sunt.* Quando verò rerum vsus ab vtentium voluntate dependet, non semper vera est hæc maxima, *nam miserias & calamitates quidam ad bonum vsum vertunt. Philosophiam etiam alii ad errores suos incrustandos pessimè exercent.* *Cautio.*

LOco à proprio vtimur, quando probaremus rem, quæ in controuersia est, non esse hanc aut illam substantiam, quia eiusdem proprietas assignato subiecto non rectè accommodetur. 10 *A Proprio.*

Maxima.

Cui tribuitur vel adimitur accidens proprium, ei quoque subiectum tribui vel adimi necesse est. *Vt Christus est ab æterno*, Ergo, *non est homo.*

A Communibus accidentibus argumentamur, probando subiectum illud de quo agitur ita se habere vt dicimus, quoniam iisdem accidentibus imbuitur, quibus imbui solet. 11 *A communiter accidentibus.*

Maxima.

Posito accidente inseparabili ponitur eius subiectum, & reipsa sublato tollitur; separabili autem accidente negato, non tollitur subiectum; nec posito subiecto, ponitur illud

accidens. *Vt Carbones sibi sunt summe calidi, ergo, sunt igniti*: non autem sequitur, *purpuratus est, ergo, est Rex*, nisi aliorum accidentium congeriem adijciamus, *vt quod in solio sedeat, sceptrum teneat, satellites ipsum tueantur, subditi aperto capite ipsum circumsistent.*

CAP. XI.

De locis medijs, Coniugatis, & Diuisione.

12 *A Coniugatis*

LOco à Coniugatis & Casibus vtimur, quando ostenderemus abstractum alicui subiecto non inesse, quia concretum non inest, *vt nigredinem in niue non inesse, quia nix non denominetur nigra.*

Maxima.

1 Posito vno coniugatorum ponitur alterum, & sublato tollitur; *vt iuste agit, ergo est iustus, ignauè pugnat, ergo est ignavus.* Sed limitatio huius regulæ ex Morali Philosophia est petenda; nisi enim quis scienter, volentèr, aut constantèr actiones eas edat quæ ad habitum requiruntur, impropriè denominetur secundum illum habitum agere; *vt iustè agit ergo est iustus*, rectè concludit, quia iustè agere est scienter, volenter & constanter secundum iustitiam agere: sed *iustè agit, ergo est iustus*; non sequitur, quia quispiam vnam aut aliam actionem temerè & inconsultò agat, idcirco ab ea actione non est denominandus iustus.

Limitatio.

2 Si coniugatorum vnum vni conueniat, alterum etiam conveniet alteri, *vt si album est scoleratum, albedo est calor.*

2 Sed

1 Sed hic summoperè cavendum, vt prædicatio sit per se, id est, vt prædicatum & subiectum sint eiusdem naturæ: nam si duo concreta per accidens de se invicem prædicentur *vt album est dulce, & dulce est album*, eorum abstracta de se inuicem similiter non prædicantur; non enim dicimus *albedo est dulcedo, nec dulcedo est albedo*, quia prædicabantur per accidens, nec naturam suam communicant, *vt color albedini*, aut *sapor dulcedini*. SECT. 2. *Limitationes.*

2 Secundò observandum, vt vera assignentur denominatiua secundum rem & significationem. Non enim sequitur *Somnolentus est vitiosus*, ergo *somnus est malus*, somnolentus enim non est somni, sed somnolentiæ denominativum; vnde potiùs ratiocinandum est, *Somnus est bonus*; *igitur dormire est bonum*. Nihil enim refert vtrum significatione tantùm, an voce & significatione simul denominatio fiat; quod enim præcipuè hic quæritur est significatio.

LOcus à divisione vim obtinet, quando aliquid membris diuidentibus competere ostenderimus, quia Diuisio conuenit, aut Diuiso non conuenire quoniam nullis membris diuidentibus conueniat. 13 *A Diuisione.*

Maxima.

1 Quicquid affirmatur vel negatur de omnibus membris dividentibus, id quoque de diuiso similiter affirmari aut negari oportet: & contrà, quicquid de diuiso materialiter negatur, illud de membris diuidentibus affirmari debet aut negari; vt *si omnia gressilia, reptilia, volatilia, natatilia mouentur, animal ipsum moueri necesse est*; *& si animal ipsum non sit insensile, nec aquatilia, nec volatilia, nec reptilia sunt insensibilia.*

2 Condiuidentium vno aut altero sublato manet reliquum, positoque vno aut altero reliquum tollitur; vt *Animalium aliud sanum est, aliud agrum, hoc animal sanum est*, Ergo, *non est agrum*; *aut agrum est*, Ergo, *non est sanum.*

Huius canonis ratio est, quia membra diuidentia non possunt coincidere.

CAP. XII.

De locis externis. A causa efficiente & finali, ab Oppositis, à Disparatis, à Comparatis, Circumstantiis, à Signis, ab antecedentibus, & consequentibus, à necessario, & impossibili, ab Exemplis, ab Autoritate.

14 *A causa efficiente.* Locus ab efficiente principali & per se probat effectum actu existere.

Maxima.

Posita causa efficiente proximâ & sufficiente, ponitur effectus; vt *posito Sole supra Horizontem, ponitur dies.*

Posita causa remota non ponitur necessariò effectus, sublata verò tollitur.

Quidquid efficit tale est magis tale, *vt ignis efficit aquam calidam*, Ergo *est magis calidus*;

Conditiones. sed requiritur primò, *vt affectio vtriq; subiecto inesset*, vnde non sequitur, *vinum facit hominem ebrium*, Ergo *est magis ebrium*; secundo vt causa sit per se, tertio vt sit susceptibilis graduum, vnde non valet, *lutum à Sole calet*, Ergo, *Sol magis calet.*

15 *A causa finali.* Causa finalis ostendit & mediorum & destinatorum naturam iuxta finem ad quem præcipue tendunt, & in quo acquiescunt.

Ma-

Maxima.

1 Qualis est finis, talia sunt quæ tendunt ad finem. & propter finem suscipiuntur, vt *si Princeps florentem omnibus rebus velit esse suam prouinciam, necesse est vt sinceros & fideles Ecclesiæ præficiat ministros, leges sanciat bonas, præmia bonis, & improbis supplicia decernat.*

2 Posito fine ponuntur media ad finem; *vt posita scientia, ponitur demonstratio*, sed remoto fine cessant media, *vt qui non cupit eruditionem consequi, non emet libros.*

Ex oppositis argumentamur, quum probaremus vnum oppositorum subiecto non inesse, quia alterum inest, aut contrariam eorum rationem esse, quia sunt contraria. 16 *Ab Oppositis.*

Opposita sunt quadruplicia vt superiùs demonstrauimus: Contraria, Priuantia, Relatiua, Contradictoria, & singula habent suos proprios Canones.

Maxima.

1 Posito vno relatorum ponitur alterum, & sublato tollitur. vt *Pater est*, ergo, *habet filium, habet filium*, ergo, *est Pater.*

Sed hæc maxima tenet solummodò in relatis secundum esse, non secundum Dici. *Nota.*

2 Posito vno contrariorum remouentur reliqua omnia, vt *aqua est calida*, ergo, *non est frigida.*

3 Remoto vno contrariorum immediatorum ponitur alterum in subiecto capaci, in mediatis verò posito vno tantùm negatur alterum; vt *hic homo est liberalis*, ergo, *non est auarus, Non est sanus*, ergo, *est æger.*

4 Posito habitu in subiecto capaci tollitur priuatio & contrà, vt *Socrates cæcus est*, ergo,

ergo, *non videt, videt*, ergo, *non est cæcus.*

5 Posito vno contradicentium tollitur alterum, *vt homo est doctus*, ergo, *non potest esse non doctus.*

17 *A disparatis.* Locus à disparatis est petendus, quum probaremus res non confundi, sed in sua natura dissimiles esse & differentes.

Maxima.

Posito vno disparatorum remouentur reliqua, remoto verò vno non statim remouentur reliqua; *vt hac scientia est Logica*, ergo, *non est Metaphysica*, non autem sequitur, *Bucephalus non est Bos*, ergo, *non est Equus.*

Nota. Canon verò iste obtinet suam veritatem, quando in abstracto loquimur & non in concreto, vnde non sequitur, *Petrus est Grammaticus*, ergo, *non Logicus cum vterq; esse possit.*

18 *A comparatis* A Comparatis argumentum petimus, cum rerum similitudinē aut dissimilitudinem, quam habent ad se inuicem ostenderemus.

Comparata dicuntur, vel ratione
- Quantitatis, *vt par vel impar*, quæ sub se maius & minus comprehendunt.
- Qualitatis, *vt simile & dissimile*. quibus proportio & disproportio referantur.

Paria. Paria sunt in quibus quantitas qua comparantur, neque maior, neque minor est; sed quanta est in vno tanta est in alio; *vt si stultus cum luna sit conferendus in inconstantia, si ea tanta est in stulto, quanta est in luna, ratione mensura illius inconstātia, stultus & luna sunt paria.*

Maxima.

Si duo sint æque paria & vnum erit tale, al-

alterum erit tale, si vnum non erit tale, alterum non erit tale, *vt si ratio & experientia sint Medico æque necessaria experientia vero maximè est necessaria, necessaria etiam erit ratio.*

Imparia.

Imparia sunt quorum quantitas non est vna.

Maxima.

Si quod minùs videtur inesse inest, quod magis videtur inesse magis inest; sin quod magis videtur inesse non inest, nec id quod minus videtur inesse inerit. Vt *si ingratitudo erga præceptores pœnam mereatur, maiori supplicio vindicandus est contumax eorum contemptus.* Item, *Quod Demosthenes non persuasit, multo minus persuadebit Grillus.*

Similia & dissimilia.

Similia sunt, quæ conveniunt Qualitate. Dissimilia quæ differunt.

Maxima.

1 Quod in vno similiū valet aut non valet, illud cæteris convenire, aut non cōvenire dicatur, vt *Iohannes est mortalis,* ergo, *Petrus est mortalis, in vtroq; enim est eadem verisimilitudo.*

2 Dissimilibus dissimilia conveniunt, vt *anima rationalis & anima bruti dissimiliter informant,* ergo, *hæc mortalis est, illa immortalis.*

Proportio & disproportio.

Sub his contineri videntur loci à proportione & disproportione, qui tamen à prioribus differunt, quòd illic, vna res vni cuilibet alij comparatur, hic verò non est rerum similitudo, sed quædam habitudinis comparatio.

Maxima.

1 De proportionalibus est idem iudicium: vt *Quomodo se habet lumen oculi in corpore, sic rationis lumen in anima, oculus vero corpus dirigit,* Ergo *ratio dirigit animam.*

2 De ijs inter quæ non est eadem proportio, non idem erit indicium. *Anima in homi-*

ne

ne non est vt nauta in naui, nauta vero non viuifi-cat nauem, ergo *anima hominem informat.*

19 *A circumstantiis.* A Circumstantijs ducitur argumentum quãdo à loco, aut tempore rem ita esse, aut non fuisse colligimus.

Maxima.

1 Posito corpore aut alia quacunque re necesse est ei tempus attribui,& remoto tempore vniuersaliter res ipsa removetur, vt *Pythagoras nondum natus fuit Numæ tempore,* ergo *Numam non docuit.*

2 Posito corpore aut aliqua re finita necesse est locum poni,neque absentis membra aliquid agunt in eo loco vnde absunt:vt *Cicero non fuit Romæ cum interficeretur Iulius,* ergo, *Iulium non interfecit.*

20 *A Signis.* A Signis argumentamur quando probamus aliquid esse, quod huic aut illi signo est coniunctum. Signa verò sunt vel necessaria, vt *Lux astri ortus, Lac conceptionis*: vel non necessaria sed quæ sæpe eueniunt, vt *Cometa est signum pestis.*

Maxima.

A signis necessarijs valet consequentia perpetuò, & quandoque à non necessarijs, præsertim si multa signa simul concurrant.

21 *Ab antecedentibus & consequentibus.* AB antecedentibus & consequentibus concludimus, quando probamus essentiam posterioris per prioris essentiam.

Maxima.

Posito antecedente ponitur consequens,& sublato tollitur. *Vt Sol est ortus,* ergo, *Terra est illuminata; Mulier non fuit grauida,* ergo, *non peperit.*

Valet

Valet hæc Maxima si antecedens sit causa proxima, reciproca, perfecta, totalis & immediata seu cum effectu coniuncta: item si antecedens sit subiectum vniuersale, primum, aut signum necessarium. SECT. 2. *Quando valet.*

A Necessario & impossibili argumentamur, quando rem nullo modo se aliter habere ostendimus. 22 *A necessario & impossibili.*

Maxima.

Cognita necessitate, aut impossibilitate in artibus & consilijs, sublatâ dubitatione mens assentitur & obtemperat necessarijs, reijcit verò impossibilia. *Vt Flumen non potest ponte aut vado transiri, necesse est igitur illud nauigio tranare.*

AB exemplis aliquid confirmamus, quando ex aliorum factis hoc licitum aut illicitum esse declaramus. 23 *Ab exemplo.*

Maxima.

Valet consequentia ab exemplis, cum ratio similis appareat, non autem quando est dissimilis: vnde non sequitur, *Moses rectè fecit spoliare Ægyptios, quorum hospitio longè vsi fuerunt Israelitæ*; ergo, *& nobis fas est spoliare hospites.*

DIsputatur ex testimonio, quando conclusioni fidem facere conamur ab auctoritate alicuius ponderis. 24 *Ab auctoritate.*

Testimonia verò sunt vel { Diuina. / Humana.

Maxima.

Testimonia diuina valent tum affirmatiuè tum negatiuè: vnde sequitur, *credo & baptizatum*

zatus sum, Ergo, *æterna vita fruar. Sacra literæ nihil tradunt de inuocatione sanctorum*: Ergo *sancti non sunt inuocandi.*

Testimonia humana affirmatiue valent, si à doctis, & artificibus procedunt, non autem negatiue, vt, *Cicero dixit, Sapientia est nihil melius*, Ergo, *fides est ipsi danda*: non autem valet. *Aristoteles nihil docuit de vita æterna*, Ergo, *post hanc mortalem non datur vita aliqua immortalis.*

CAP. XIII.

De Syllogismi Sophistici seu fallacis Diuisione.

FInita tractatione de Syllogismo tam necessario quàm probabili, ad sophisticum seu fallacem procedendum est.

Fallax verò seu captiosa argumentatio est, quæ speciem & apparentiam veræ rationis habet, cum tamen non sit vera.

Et quia contingit nos tribus modis decipi posse, vel cum argumentatio falsò concludatur ratione formæ, vel quando videtur necessaria ratione materiæ concludere & non concludit; vel quando probabilis apparet cum sit falsa.

Secundum triplicem hunc errorem, captiosum Syllogismum triplicem esse volumus,
- Paralogismum.
- Pseudographum.
- Sophisticum.

Paralogismus est, qui falsò concludit ratione formæ, vt ex merè negantibus, aut particularibus, aut affirmatiuè in secunda figura.

Pseu-

Pſeudographus eſt, qui ex proprijs alicuius diſciplinæ principijs non autem veris ratiocinatur, vt ſiquis ita argumentetur. *Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem ſunt æquales, linea recta & linea curua tendunt ab eodem puncto in idem.* Ergo, *ſunt æquales*; hic Syllogiſmus eſt Pſeudographus, quoniam male vtitur principio Geometrico, verum enim eſt illud principium de lineis ductis per idem ſpacium, ſed non per diuerſum.

Sophiſticus Syllogiſmus eſt, qui fit ex communibus propoſitionibus ſpecie probabilitatis animos ferientibus quando in ſua natura non ſunt veræ, vt

Nulla oppoſita ſunt ſimul vera,
Subcontraria ſunt oppoſita, Ergo, *non ſunt ſimul vera.*

Maior enim videtur vera & probabilis eò quod multa oppoſita vtpotè contraria, & contradictoria, non poſſunt eſſe ſimul vera; abſolutè tamen vera non eſt, quia aliter ſe res habet in ſubalternis.

Sed quia Tyronibus in cuius vſum hanc tractatiunculam conſcripſimus, acuta nimis hæc videatur fallaciarum diſtinctio, vt eorum captui noſmetipſos applicemus, fallacias omnes ex vulgari opinione in duas partes diſtribuemus, quarum aliæ ſunt in Dictione, aliæ extra dictionem, de vtriſque pauca adijciemus.

CAP. XIIII.

De Fallaciis in Dictione.

FAllaciæ in dictione ſunt, vbi ambiguitas magis in verbis quàm in rebus hæret.

Earum

SECT. 2. Earum sunt sex, Æquivocatio, Amphibolia, Compositio, Diuisio, Prosodia, Figura dictionis.

Fallacia Æquiuocationis. Æquivocatio est quando vocabulum ambiguum diversas significationes habens, aliter in vna, aliter in alia Syllogismi parte accipitur.

Solutio. Solvitur per distinctionem vocabuli æquivoci in suas diuersas significationes; vt si aliquis ita argumentaretur;

Qui credunt saluantur,
Diaboli credunt & contremiscunt, Ergo, *saluantur.*

Neganda esset consequentia, quia in maiori propositione verbum illud *credit* implicat *fidem saluificam*, in minore includit *fidem historicam*, & proinde quatuor sunt termini in hoc Syllogismo.

Fallacia Amphiboliæ. Fallacia Amphiboliæ est quando ex Orationis multiplici sensu oritur deceptio.

Hæc Bifariam accidit; primò quando Oratio plures sensus admittit proprios, vt,

Quicquid est Aristotelis possidetur ab Aristotele.
Hic liber est Aristotelis; ergo *possidetur ab Aristotele*

Est enim ambiguum & anceps, vtrum qui sic loquitur, significat librum hunc esse Aristotelici ingenij fœtum, an ab eo possideri. Secundò cum Oratio alium habeat sensum proprium, alium Metaphoricum & improprium; vt,

Quisquis arat littus, littus proscindit aratro
Sed operam perdens, littus perhibetur arare;
Ergo *operam perdens, littus proscindit aratro.*
Littus enim arare principaliter significat, ter-

terram quæ iuxta mare est arare, vt apta fiat suscipiendo semini. Secundariò autem & minus principaliter significat, *Operam perdere vel frustra laborare*, propter quandam similitudinem, eo quod frustra fiat labor ille, qui impenditur arando littus.

Solutio. Solvenda sunt huiusmodi argumenta monstrando diuersam totius Orationis significationem, & exponendo propriam loquendi formulam.

Fallacia compositionis. Fallacia compositionis est, quando coniunguntur ea quæ non sunt coniungenda, vel vt alij planiùs definiunt, est quando ex propositione vera in sensu diuiso, & falsa in sensu composito, infertur conclusio falsa, quæ eo antecedente non rectè colligitur, nisi sumpta in sensu diuiso. v. g.

Humilis potest esse superbus:
Petrus est humilis. Ergo, *Petrus est humilis & superbus.*
Adam fuit iustus & peccator: Ergo, *fuit iustus peccator.*

Solutio. Hæc dubitatio soluitur ostendendo perversam compositionem.

Fallacia diuisionis. Fallacia diuisionis est, quando ea quæ disiungenda non sunt, in conclusione separantur: vel quando ex propositione vera in sensu composito, &, falsa in sensu diuiso, infertur conclusio falsa, quæ ex eo antecedente non rectè colligitur: vt,

Impossibile est sedentem stare:
Petrus sedet; Ergo impossibile est; vt stet.
Item,
Duo & tria sunt imparia
Quinq; sunt duo & tria; Ergo, *sunt paria, & imparia.*

Mon-

SECT. 2. *Solutio.* Monstratur hæc fallacia, quando ea quæ diuidenda sunt diuiduntur, & sensus compositus à diuiso distinguitur.

Fallacia Prosodiæ tribus modis oritur. Fallacia Prosodiæ seu accentus est, quando ex vocabulis Scripturam aut pronunciationem similem habentibus oritur deceptio.

1 Tribus modis hæc fallacia oritur, vel ratione Quantitatis, vt quando eadem vox varijs scripta aut pronunciata accentibus, varium efficit sensum: vt,

Omnia mala sunt detestanda,

Poma sunt mala Ergo, *Poma sunt detestanda.*

2 Vel ratione aspirationis, quando in vno loco vocabulum cum tenui Spiritu proferatur, in altero cum asperato: vt,

Omnis ara est in Templo:

Porcorum stabulum est hara; Ergo, *Porcorum stabulum est in Templo.*

3 Vel ratione distinctionis seu distractionis, cum simplex verbum in duo aut plura diuidatur: vt,

Omnis incuria est reprehendenda;

Senatus est in curia; Ergo, *est reprehendendus.*

Quomodo differt ab æquiuocatione. Differt à fallacia æquiuocationis, quia æquiuoca sunt vocabula omninò vna, hæc verò diuersum tonum habent.

Soluitur hæc fallacia, quando verus accentus pro falso, vera Scriptura pro nota ponitur.

Fallacia figuræ dictionis. Fallacia figuræ dictionis est, quando ex similitudine terminationis aut generis eiusdem vocis falsa colligitur eadem significandi ratio, vt si dicam, *Penna est primæ declinationis Ergo & pæna. Habeo est secundæ coniugationis,* Ergo, & *abeo*, quia eundem finalem terminum habent.

Huc

Huc etiam referuntur errores, qui oriuntur aut ex variatione casuum: vt,

Telum est neutrius generis;
Sagitta est telum: Ergo, *Sagitta est neutrius generis.*

Aut ex variatione prædicamenti: vt,

Quicquid emisti, comedisti;
Crudum emisti: Ergo, *crudum comedisti.*

Hic enim de vna Categoria in aliam fit transitus, nam prima propositio facit mentionem substantiæ, vt illam substantiam ederet, quam emerat, secunda Qualitatis, vt scilicet ederet, eodem modo quo emerat.

Solutio. Soluenda est hæc fallacia cùm distinctione rerum & prædicamentorum, tum reductione casuum obliquorum ad rectos.

CAP. XV.

De Fallaciis extra dictionem.

Fallaciæ extra dictionem sunt quæ non in nudis vocibus, sed in rebus ipsis extra voces latent; & sunt septem. Fallacia accidentis, A dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Secundum non causam vt causam, Fallacia consequentis, Petitio principij, Ignoratio Elenchi, à pluribus interrogationibus.

Fallacia accidentis duobus modis committitur, primò quando illud quod substantiæ soli conuenit, attribuitur accidenti, aut contrà: vt,

Omnis homo est substantia;
Hoc album est homo; Ergo, *hoc album est substantia.*

Secundo quando procedimus à negatione

Sect. 2. ne alicuius singularis, quod vni tantùm convenire potest ad negationem alterius, quod commune est pluribus: vt

Quod ego sum tu non es;

Ego autem homo sum, ergo, *tu non es homo.*

Solutio. Solvitur hic decipiendi modus per distinctionem, vbi demonstratur alia per se, alia per accidens, alia generaliter, alia specialiter rebus convenire.

Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter committitur, cum ex propositione vera tantùm aliquo respectu, parte, aut tempore, aliquid tanquam simpliciter dictum infertur; vt *Cadaver est homo mortuus,* ergo, *est homo. Merces eiiciendæ sunt in mare, tempestate vrgente;* ergo, *Merces in mare sunt eiiciendæ.* Huc etiam refertur illud Sophisma quod tam multos vexat. *Qui dicit Socratem esse animal verum dicit, qui dicit Socratem esse Asinum dicit Socratem esse animal,* ergo, *qui dicit Socratem esse Asinum verè dicit.* Huius Syllogismi maior est limitanda, nam qui dicit Socratem esse animal non quoduis in specie, sed vel in genere, vel certa differentia, vt rationali limitatum dicit verum, & sic minor erit falsa.

Solutio. Soluitur hæc fallacia ostendendo diuersam propositionum acceptionem, nempe quomodo altera absolutè, & simpliciter est intelligenda, altera limitatè & respectu loci, temporis aut alterius certæ considerationis.

Fallacia ex ignoratione Elenchi. Fallacia ex ignoratione Elenchi seu contradictionis est, qua quis ex eo fallitur, quod malè redarguat, siue quòd conclusionem Syllogismi contra se pugnantis suæ quæstioni contradicere falsò existimet.

Elenchus quid? Elenchus enim siue redargutio *ab Aristotele*

le definitur Syllogiſmus cum contradictione concluſionis, id eſt, colligens contradictoriam alicuius enunciationis certæ; vt ſi teneremus *idem non poſſe dici æquale & inæquale*, & aliquis hoc redargueret, exemplo à lignis ducto, v. g. *Duo hæc ligna ſunt æqualia ſecundum craſsitudinem, & inæqualia ſecundum craſsitudinem*, ergo, *eadem poſſunt eſſe æqualia: & inæqualia* committitur fallacia ignorationis Elenchi, quia putamus hanc argumentationem noſtræ ſententiæ contradicere; duo *enim ligna diuerſa ratione æqualia poſſunt eſſe, & inæqualia*, ſed non *reſpectu eiuſdem dimenſionis*: non enim rectè inſtituitur contradictio, niſi ſit ad idem, ſecundum idem, & eodem tempore, vt ſuperiùs demonſtrauimus.

Solutio.

Solvitur hæc fallacia diſtinguendo inter vnam & alteram rei conſiderationem, quòd vel tempus non eſt idem, vel reſpectus eſt diverſus, vel quòd de eadem parte, vtraque conditionis membra non intelliguntur.

Fallacia non cauſæ, vt cauſa.

Fallacia non cauſæ vt cauſæ oritur ex cauſarum inſcitia, quando ſcilicet cauſæ aut falſæ, aut per accidens pro veris ponuntur: aut cum cauſæ non ſufficientes enumerantur, vel etiam remotæ, ambientes, partiales, aut minùs principales, & quæ ſtolidæ vocantur; item cum à voluntaria cauſa ad neceſſitatem effectus, denique cum à fine improprio, ſeu abuſu, ad cauſæ prauitatem argumentamur, & cum vitia perſonæ imputantur rei, vt *Malæ ſunt diuitiæ quoniam iis abutuntur mali. Vinum malum eſt quoniam ebrios facit*; *aqua mala eſt, quoniam eâ ſuffocantur multi.*

Solutio.

Solvitur negando falſam cauſam & adducendo veram.

Fal-

SECT. 2.

Fallacia consequentis.

Pallacia consequentis est quando putatur consequens inferri ex antecedente cùm non infertur; vt *Flavum est, Ergo, Mel, quia Mel est flavum.*

Duobus modis infertur mala consequentia, vel generaliter, quando negliguntur Syllogismorum præcepta; vel specialiter cum argumentatio procedat à genere ad speciem affirmatiuè vt *Ciuitas est, igitur Athenæ*: à specie ad genus negatiuè; vt *Socrates non est brutum*; Ergo, *non est animal.* A causa adiuvante ad effectum, vt *Machinas bellicas fecit*, *Ergo, ad bellum est paratus*: ab *effectu ad causam adiuvantem*, vt *Doctus est, Ergo, Athenis fuit.* A partibus ad totum partitione plena non facta, vt *Alexander Persas & Indos vicit, totum igitur terrarum orbem subegit.*

Solutio.

Soluitur vel ostendendo, quòd directè Syllogismus non rectè secundum formam concludit, vel demonstrando quòd consequentia debilis est ratione materiæ secundum quam concludit.

Fallacia à petitione principij.

Fallacia à petitione principij cernitur, quando idipsum quod est in quæstione, ad sui ipsius probationem assumitur, verbis forsan ad fraudem paululùm immutatis; vel quando ad quæstionem probandam præmissæ adducuntur tam incertæ, vel etiam ignotiores, quàm res ipsa controuersa, vt *Anima est immortalis quoniam est mortis expers. Omnis homo est risibilis, quia aliquis homo est risibilis.*

Solutio.

Solvitur ostensa propositionum identitate & nugatione.

Fallacia plurium interrogationum.

Fallacia plurium interrogationum est, quotiescunque duæ aut plures interrogationes, ita indigestæ & confusæ proponuntur, vt speciem

Sect. 2.

ciem vnius tantùm præ se ferant. Hæc duobus modis committitur, primò cum plura sunt prædicata, *Sitne homo animal rationis particeps, immortale & disciplinæ capax?* secundò quando plura proferuntur subiecta, vt *Nonne Virgilius, Propertius, Ouidius* fuerunt Poetæ turpissimi?

Solutio.

In solutione huius fallaciæ distinctè ad quamlibet quæstionis partem respondendum est: sic enim vt alios non fallas impediat tua integritas, ita vt ab alijs fallaris non permittet tua solertia.

Discursu illatiuo plenè & perfectè his duabus sectionibus absoluto, ad ordinatiuum procedam, quem hac postrema sectione breuiter expediam.

G ADITVS



ADITVS AD LOGICAM.

Sectio tertia.

Libri tertij.

Vno capite absoluenda.

De Ordine.

Discursus ordinatiuus.

SIcut dicursus illatiuus aliud ex alio probare docet, ita ordinatiuus ostendit, quomodo definitiones, diuisiones, & reliquæ partes cuiuslibet artis aut scientiæ rectè inter se connectantur, vt aliæ præcedant, aliæ consequantur.

Hic vulgò Ordo aut Methodus vocatur: ambo enim vocabula nos promiscuè vsurpamus, quatenus per illa res disponuntur, vt faciliùs eas agnoscamus.

Quoniam verò contingit vt aliud alio duobus modis notius & ignotius dicatur vel naturâ, vel nobis, hinc dubitatio non leuis oritur, vtrum iste ordo magis à natura, quàm à nobis notis procederet: Hanc controuersiam nos duplici hac distinctione solvemus.

Quando

SECT. 3.

Quando dicimus quòd aliud alio in rerum natura est notius: Illa rerum natura duobus modis potest intelligi, vel vt est rerum ipsarum natura extra omnem nostram cognitionem positarum, vel vt res ipsæ ad nos cognoscentes referuntur; sic *Principia in Philosophia naturali dicuntur compositis notiora secundum naturam*, & quia *nobis non cogitantibus ex iis composita constituuntur, & quod nos ducunt in cognitionem natura compositorum.* *Notius aliud alio duobus modis dicitur.*

Secundò Notius nobis etiam (vt prius notauimus) bifariam intelligatur, vel vt seruamus naturæ ordinem, vel vt ordine naturæ contrario vtimur; ita *in cognitione nostra confusa effectum primo cognoscimus & per effectum ducimur in cognitionem causa*: sed hæc cognitio adhuc est confusa, dum contra naturæ ordinem procedimus; in cognitione verò distincta secundum naturam progreditur intellectus, primò apprehendendo causam, vt per causam tandem in distinctam effectus cognitionem perueniamus; *ita generatio materiâ primâ, & prima materia generatione alio atq; alio respectu nobis notior. Generatio est materiâ prima notior confusâ nostrâ cognitione, dum causam per effectum intelligimus, & materia prima cognitione distincta est generatione notior, quia est eius causa, qua cognita effectum cognoscimus.* *Notius nobis duplex.*

His distinctionibus pro fundamento iactis, hæc extruenda sunt corolloria.

1 Tota ordinis ratio à meliore & faciliore materiæ cognitione dependet.

Ratio est, quia ordo instrumentum est ad cognitionem non ad rerum generationem conferens; Ideoque in ordine commoditas

SECT. 3. & facilitas cognitionis maximè est quærenda; quod fit si progrediamur ab ijs, quæ nobis sunt notiora, ad ea quæ nobis sunt ignotiora.

2 Ordinandi ratio non procederet à notioribus quoad naturam, nisi quatenus ea sunt nobis notiora; ita enim sequeretur nullum alium esse ordinem præter analyticum. Et licet Aristoteles nonnunquam ab vniuersalibus ad particularia, & proindè à naturâ ad nobis nota procedere quibusdam videatur, vt *in principio Physicorum, à principijs ad composita*; *non tamen ita intelligendus est Aristoteles, quasi naturâ notiora primo ordine sunt collocanda, sed potius quia ea quæ sunt notiora natura, in sua nuda existentia nobis etiam ordinem natura sequentibus in cognitione distincta prius se offerunt cognoscenda.* Ita enim Aristoteles *in primo Physicorum* exordium sumpsit à principijs, non quia naturâ priora sunt effectis, sed quoniam aliorum cognitionem assequi non possumus, nisi ex principiorum cognitione, itaque ex nostra cognitione rationem illius ordinis accepit & non ex rerum natura.

Ordo (cum sit cognitionis instrumentum) ex fine diuersarum disciplinarum est diuidendus; quum enim inter disciplinas, aut earum cognitionem propter seipsas quærimus, & eam adepti quiescimus, quod euenit in scientijs contemplatiuis; aut ipsam cognitionem propter se non quærimus, sed vt acquisitam ad operationem dirigamus, quod in practicis artibus contingit; pro diuersitate harum cognitionum ordo in duas partes diuersas diuiditur.

Om-

SECT. 3.

Ordo in duas partes.

Omnis enim ordo qualiscunque ille sit, vel est { Συνθετικος seu compositivus. / Αναλυτικος seu resolutivus. }

Ordo Syntheticus.

Ordo Syntheticus seu compositivus est, qui à principijs progreditur ad ea, quæ constant ex principijs, vt fiat perfecta rerum cognitio. Iste in scientijs solis solus cernitur: cum enim resolutivus semper à fine auspicatur, qui in disciplinis contemplativis nihil est nisi ipsa rerum scientia, quæ à rebus sciendis reipsa non differt; certè in ijsdem nullum habeat locum, vnde relinquitur quòd solus ordo syntheticus ad quaslibet scientias tradendas est necessarius. *Ita Physica scientia quoniam ad contemplationem solùm inseruit, secundum ordinem syntheticum, primo de communibus rerum naturalium principiis materia, forma, & priuatione, vnà cum cōmunibus rerū naturaliū affectionibus agit. Ab his ad magis composita, nimirum ad corpora simplicia progreditur, ab his ad mixta, perfecta, imperfecta, animata, inanimata donec omnium rerum cognitionem habeat in qua acquiescit.*

Vbi obseruandus.

Ordo Analyticus.

Ordo Analyticus est qui à proposito vltimo fine siue agendo siue à nobis efficiendo progreditur, ad prima principia inuestiganda, quibus finis perficiatur.

Vbi reperiendus.

Hic in artibus practicis solùm cernitur: licet enim artes operantes ordine compositiuo vtentes à principijs initium sumunt, & ad compositum procedunt, vt *in arte ædificatoria, à lapidibus, & lignis comparandis, ad domum*

extruendam progredimur; in artibus tamen di-
centibus ordine plane contrario vtimur: cum enim
in ipsis finis semper proponitur certus, de quo fiat
nulla consultatio, vt *finis exercitus est victoria,*
sequitur, quòd tota consultatio esset de me-
dijs ad finem ducentibus, & proinde à fine
qui nobis notus est ad ignota media progre-
di non possumus nisi ordine resolutiuo. Hu-
ius ordinis euidentem instantiam nobis præ-
bet *ars Ethica seu moralis, quæ à felicitate vt à*
fine ad virtutes quæ sunt media ad felicitatem
ducentia ἀναλυτικῶς *progreditur.*

In vtroque tam resolutiuo quàm composi-
tiuo ordine summoperè videndum, primò
ne qua pars desit, secundò ne qua super-
sit, tertiò ne qua inutiliter repetatur,
vltimò vt omnes partes aptis
transitionibus sint
connecten-
dæ.



LEC-



LECTORIBVS DOCTIS, & INDOCTIS.

INdocti non damnent, quod ipsi nesciunt; docti non inuideant, quod ipsi novum putant; ab vtrisque peto, si alicubi erratum sit, illud castigent, non culpent; si quid ab illis merui, vt Deo, non mihi gratias rependerent.

Valete.

FINIS.

ADITVS AD LOGICAM.

I. 5. 11.

In vsum eorum qui primò ACADEMIAM Salutant.

Autore SAMVELE SMITH *Artium Magistro.*

Quarta editio, de nouo correcta, & emendata.



LONDINI
Per *Guilielmum Stansby.*
1627.



ADITVS AD LOGICAM.

LIB. I.

CAP. I.

De definitione & diuisione Logica.



Ogica est scientia de quouis themate probabiliter & anguste differendi. Vel vt planiùs dicam; *Logica est artificiosa & methodica præceptorum comprehensio, quâ cognoscimus suo iure ratione uti ad fidem faciendam in qualibet re probabili.* Logicæ definitio.

Differt à *Grammatica*, quia hæc congruè dicere, illa secundum veritatem differere; à *Rhetorica*, quia hæc palmâ expansa, id est, fusè & ornatè, illa pugno contracto, id est, strictè & angustè argumentari docet. *Quomodo differt à Grammatica & Rhetorica.*

Argumentari verò dicitur, non quòd tota Logicæ vis in argumentatione est sita;

Tria enim sunt Logicæ munera. { Definire obscura, Diuidere vniuersa, Ratiocinari de verisimilibus.

Sed cum inter ista & plura, alia Logicæ munera, quæ istis superaddat huius artis studiosus, primas semper obtinuit Argumentatio, eius solùm in definitione mentionem feci-

mus, reliqua minoris precij officia reticentes magis quam reijcientes.

Quare logica de probabilibus dicitur argumentari.

Atque vt quælibet Logicæ pars non docet argumentari, sed sola vltima, ita vltima non docet de qualibet re argumentari, sed solum de probabili; vel quod probabilium argumentorum maior est copia, quàm necessariorum, & proinde à parte vberiori sumitur definitio, vel quia necessaria non sunt omnimò Logicæ considerationis. Quatuor enim sunt teste Aristotele de quibus non est disserendum. 1. Ea quæ pœnam merentur, vt An Deus sit colendus. 2. Quæ sensui sunt obvia, vt An nix sibi alba. 3. Quæ à nobis longè sunt amota, vt An sit aliquid supra cœlum vltimum. 4. Quæ possunt demonstrari, vt An homo sit resibilis. Quum igitur manifestè vera & manifestè falsa, aut demonstratione probari, aut sensu percipi possunt; restat, vt res solæ probabiles sint Logicæ considerationis, aut necessariæ, quatenus speciem præ se ferunt probabilitatis, & pro nostri conceptus imbecillitate nobis videntur probabiles.

Generalis divisio Logicæ.

Tota Logica in tres partes dividitur; prima agit de vocibus simplicibus; secunda de complexis; tertia de discursu: vt enim pueruli abcedarij primò literas & syllabas noscere, inde notas coniungere, vltimò coniunctas legere sunt erudiendi: ita tyrones logici primò edocendi sunt, quid est vox, quomodo formetur, & quos vsus in logica habet secundò quomodo ex vocibus simplicibus fiat propositio, & quæ sunt eius affectiones; vltimò ex quibus propositionibus extruendus est syllogismus: quæ omnia dum nos

(annu-

(annuente Deo) tribus libris ostendere auspicamur, constructionis ordinem sequemur, & à voce simplici exorsi, indeq; ad propositionem progressi, in discursu demùm consistemus.

Cap. II.

De definitione & diuisione Vocis.

VT vocis natura, quæ primi & secundi libri subiectum est, meliùs dignoscatur, ab eius definitione & diuisione exordium sumemns, vt quid sit de quo agitur omnibus innotescat.

Vox est signum rei & conceptuum ex instituto diuino aut humano, certa literarum aut syllabarum conformatione scriptum, aut pronunciatum. *Vocis definitio*

Ad vocem Logicam tria præcipuè requiruntur. Primò, vt sit significans, vnde infantium voces propriè non sunt voces, quia non sunt signa rerum. Secundò, vt non significet naturaliter, *sicut risus apud omnes lætitiam, fletus mæstitiam designat*, sed ex instituto vel diuino, *vt lingua Hebræa*, vel hnmano, *vt reliqua omnes à Babelis euersione exortæ* Tertiò, vt conformetur literis & syllabis, siue scribatur, siue pronuntietur: Vnde differt à sono, quod Sonus est collisio duorum corporum solidorum, sed vox non nisi naturalibus instrumentis formetur his versibus cōprehensis *Tria ad vocem requisita.* *Quomodo vox differt à sono.*

Instrumenta nouem sunt guttur, lingua, palatum
Quatuor & dentes, ac duo labra simul.

Multifariam diuiditur vox; primò in Simplicem & Complexam. *Prima vocis diuisio.*

Vox simplex est cuius nulla pars quicquam separatim significat, vt *veritas*, *domus*,

 licet

licet enim *Do* & *mus* separatim sumpta vt sunt per se vocabula aliquid significant, prout tamen sunt partes illius vocabuli *Domus* nihil separatim designant.

Vox complexa est quæ ex duabus aut pluribus simplicibus conflatur, *vt Armata veritas*; de hac voce fusiùs in sequentibus agemus.

Lib. 2.

Vox simplex rursus subdiuiditur in Concretam & Abstractam.

Vox concreta est quæ res coniunctim significat; vt album *parietem, hominem, aut tale aliquod subiectum consignificat cum albedine eidem inhærente.* Abstracta est quæ rem separatim significat, vt albedo *qualitatem notat nulli subiecto inhærentem.*

Diuisio secunda.

Secundò diuiditur in vocem { primæ / secundæ } { notionis, seu / impositionis.

Vox primæ intentionis est, quæ aliquid extra animum significat, & rei primò est imposita: vt *Aurum, virtus.*

Vox secundæ notionis est, quæ non immediatè rem, sed modum aliquem seu instrumentum, quo mediante res intelligitur, denotat; vt *Genus, Species, omnesq; voces artis.* Sic in Grammatica *lapis* est *vox* primæ notionis: sed quando dicimus lapis est nomen (*nomen*) erit vox secundæ notionis; sic in Logica *animal* est vox primæ notionis naturam realem animalis significans, sed vt est *Genus* est vox secundæ intentionis.

Diuisio tertia

Vltimò vox diuiditur in Communem, & Singularem.

Vox singularis est quæ vni tantùm rei attribuitur, vt *Oxonium vnius Academiæ, Socrates vnius hominis nomen est.* Hæc vox apud Logicos

gicos vulgo appellatur Indiuiduum: & quadrifariam diuitur in *Indiuiduum Quadruplex.*

Vagum, Signatum,
Demonstrativum,
Ex hypothesi.

1 Individuum vagum est vox communis, quæ aliquo quidem modo sed imperfectè ad rem singularem restringitur: sic si dicam *quidam homo*, verbum illud *quidam* hominem restringit, ita tamen vt quis intelligatur, nobis sit incognitum.

2 Determinatum est quod ad determinatam & certam rem singularem significandam ex arbitrio imponentium est institutum; suntq; propria rerum nomina, vt *Gabriel, Alexander, Bucephalus.*

3 Individuum demonstrativum est quando terminum communem cum pronomine demonstratiuo sumimus, ad vnum aliquod particulare designandum; vt *Hic homo.*

4 Individuum ex hypothesi seu suppositione est, quando vniuersale & commune nomen facta suppositione aliqua, non nisi de vno prædicatur, vt *Sophronisci filius.* Qui ex se quidem est terminus communis, sed quia iuxta veritatem vni solum nimirum *Socrati* competit, secundum hanc suppositionem, quod Sophroniscus Socratem solum genuerit, Individuum dicitur, & rem singularem designat.

Alia apud alios Authores recensentur Individua, vt *Indiuidua* καθ' ἐξοχὴν, vt poeta pro Virgilo, *aut* περιφραστικῶς, vt fluuius septemfluuius pro Nilo quæ ad aliquod dictorum indiuiduorum nullo cum negotio reduci possunt.

Vox communis est quæ multis communicatur, *sic homo de hoc & illo homine prædicatur, & animal huic & illi animali attribuitur.*

De voce singulari nulla tractat disciplina, & proinde Plato nos acquiescere iubet, cum semel ad ipsam deventum sit. Communis verò est huius primi libri subiectum, quem obinde in duos tractatus partiti sumus, quorum primus aget de Prædicabilibus, posterior de Prædicamentis. Prædicabile enim à Prædicamento differt, primò quia Prædicabilia sunt recepta & res contentæ, at Prædicamentorum gradus sunt receptacula, & res continentes: secundò, Prædicamenta sunt primæ notiones & Prædicabilia secundæ: vltimò quoniam Prædicamenta sunt res quæ prædicantur, Prædicabilia ostendunt, quomodo prædicantur: de vtrisque suo loco agemus, & primo de Prædicabilibus.

Quomodo Prædicabile à prædicamento differt.

CAP. III.

De Prædicabilibus.

Prædicabile quid?

PRædicabile est vox communis quæ de pluribus aptè nata est dici, *vt Animal de homine & bruto.* Dicimus quòd hæc vox *aptè nata est dici*, *seu* quod idem sonat, *habet potentiam prædicandi de pluribus*, quia licet actu quandoq; de vno tantum prædicatur, *vt animal de Socrate in hac propositione, Socrates est animal*, potentiam tamen habet de pluribus prædicandi, *Platone* scilicet, *Aristotele, aut quouis libet alio animali.*

Quomodo differt ab vniuersali.

Prædicabile verò differt ab Vniuersali, quòd Prædicabile dicitur de multis & Vniuersale est in multis: sic *natura humana dicitur*

vni-

vniuerſalis, quia eſt in quolibet particulari, homine, ſed *homo dicitur Species*, quia de ſingulis hominibus prædicatur, imò ob eam cauſam prædicabile dicitur de multis quoniam vniuerſale eſt in multis, *vt homo de Socrate & Platone ideo prædicatur, quia humana natura vtriſque ineſt*.

Quinarius prædicabilium numerus.

Quinque enumerantur prædicabilia.
1. Genus.
2. Species.
3. Differentia.
4. Proprium.
5. Accidens.

Quid genus.

Genus eſt prædicabile quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in Quid. *Specie vero ea dicuntur differre*, quæ ſunt diuerſæ ſpecies eiuſdem generis. *Sic homo & brutum ſpecie differunt*, & de ijs animal vt Genus prædicatur. *Prædicari autem in Quid*, eſt reſpondere ad quæſtionem factam per Quid; interroganti enim *quid eſt homo*: ritè reſpondetur *Animal*.

Prima diuiſio generis.

Genus trifariam diuiditur primò in
- Summum.
- Subalternum.

Genus ſummum eſt quod nunquam poteſt eſſe ſpecies, ſeu quo nullum datur aliud ſuperius genus, vt *Subſtantia, Quantitas, &c.* totidem enim ſunt ſumma genera quot ſunt prædicamenta.

Subalternum eſt quod aliquando eſt genus, aliquando ſpecies: & ideo dicitur ſubalternum quod alternis vicibus genus eſt & ſpecies; Genus reſpectu inferiorum, & ſpecies reſpectu ſuperiorum; *ſic Subſtantia eſt Genus ſummum, Corpus ſubalternum*: genus enim eſt reſpectu corporis ſimplicis & compoſiti, & ſpecies reſpectu Subſtantiæ.

Secundo

Diuisio secunda.

Secundo diuiditur Genus, in { Proximum, Remotum,

Proximum est quod proximè speciei adiacet.

Remotum longiùs à specie distat, sic *corpus est remotū, animal est proximū hominus genus.*

Diuisio tertia

Tertio Genus est, vel { Perfectum / Imperfectū } siue { Vniuocum. / Analogum.

Genus perfectum est quod æqualiter communicat naturam suis inferioribus, *sic animal diciturgenus perfectum*, quia æquè primò homini conuenit, & bruto: brutum enim est æquè corpus animatum ac homo.

Imperfectum genus est quod vtrisque speciebus communicatur, sed alteri magis, alteri minus; ita *substantia de natura entiu magis participat, quam accidens*; accidens enim omnino non esset, nisi substantiæ inesset.

Quid species.

Species est prædicabile quod prædicatur de pluribus numero differentibus in Quid, *Vt homo, fortitudo. Numero vero dicuntur differre*, quæ sunt indiuidua & numerando solum sunt diuersa, *vt Plato & Socrates*, qui in humana natura simul conveniunt, sed numerando *hunc Platonem ab illo Socrate* diuersum esse dicimus.

Prima eius diuisio.

Bifariam dividitur Species, primò in { Perfectam. Imperfectam.

Perfectæ dicuntur species, quæ sub perfecto genere continentur; *vt homo & Brutum sub animali.*

Diuisio secunda.

Imperfectæ sunt quarū vna perfectā, altera imperfectā generis participationē habet, *sic Substantia plus habet de natura entiū quā accidens*

Secundò species partitur, in { Subalternam. Imam.

Species subalterna cum genere subalterno in omnibus consentit. Ima

Ima species semper est species & nunquam Genus, vt *Homo*, & hæc sola in præsentiarum consideratur.

Differentia est prædicabile quod prædicatur de pluribus specie, vel numero differentibus in Quale quid. Dicitur prædicari, *De pluribus specie differentibus*, propter differentiam genericam, de *pluribus numero differentibus*, propter differentiam specificam, *Et in Quale Quid*, quia essentialem qualitatem notat, *vt rationale.* *Quid differentia.*

Tribus modis dividitur, primò in { Communem, Propriam, Maxime propriam. *Prima diuisio.*

Communem voco quæ sumitur ab accidente communi, *sic idem à seipso potest differre* Socrates enim puer à seipso iam grandævo differt. Propriam, quæ sumitur ab accidente proprio, *sic oculatus Oedipus à seipso oculis capto distinguitur.* Maximè propriam (quæ maximè ad propositum nostrum spectat) eam voco quam iamiam definivimus; duæ enim priores differentiæ solummodò ἀλλοιον qualitate diuersum aliud ab alio facit, hæc ἄλλο seu essentialem quandam discrepantiã constituit, vt *rationale inter hominẽ & brutũ.*

Secundò differentia, illa scilicet quã nos maximè propriam vocauimus, in { Genericã, Specificã. } diuiditur. *Diuisio secunda.*

Generica est quæ de pluribus specie differentibus dicitur, *vt sensibile de homine & bruto.* Specifica est q̃ de pluribus numero differentibus predicatur, *vt rationale de Socr. & Platone.*

Tertiò diuiditur in differentiam { Diuisivã quæ diuidit genus, Constitutivam quæ speciem constituit. *Diuisio tertia.*

Notan-

Notandum verò est quòd eadem differentia differenti ratione & diuisiva esse potest & constitutiva: Diuisiva scilicet ratione sui superioris generis, sed Constitutiva respectu speciei; vt *rationale diuidit animal, & constituit hominem.*

Tria hæc prædicabilia clarius elucessent si arborem illam, quam vocant Porphyrianam, istis subiunxero.

Arbor Porphyriana.

Substantia.

Incorporea *Spiritus.*	Corporea *Corpus.*

Corpus

Compositum *Compositum.*	Simplex *Elemētū.*

Compositum

Animatum *Animatum.*	Inanimatum *Lapides.*

Animatum

Sensile *Animal.*	Insensile *Planta.*

Animal

Rationale *Homo.*	Irrationale *Brutum.*

Homo.

SOCRATES — PLATO — CÆSAR

In hac serie *Substantia* est summum genus, *Homo* est species infima; *Corpus, Compositum, Animatum, Animal,* sunt genera subalterna;

Incor-

Incorporea, Corporea, Compositum, Simplex, Animatum, Inanimatum, Sensile, Insensile, sunt omnes differentiæ genericæ, *Rationale & Irrationale* specificæ, vtræque verò pro diuersa ratione & divisivæ esse possunt & constitutivæ: *Socrates, Plato, Cæsar,* sunt individua, sic dicta quod vlterius dividi nequeunt.

Proprium est quod omni soli semper & convertibiliter accidit subiecto, *vt risibile homini:* Accidit omni, id est omni individuo, & soli, hoc est, soli speciei, & semper scilicet quoad potentiam; licet enim homo semper actu non ridet, potest tamen ridere, si aliquod lepidum obijciatur; denique necessariò & convertibiliter accidit, quia fluit à principijs essentialibus speciei materia scilicet & forma totius compositi, vt *risibilitas ab anima rationali cum corpore humano vnita.* *Quid Proprium.*

Accidens est quod potest adesse & abesse sine subiecti interitu, *vt albor à pariete.* *Quid Accidens.*

Divisiones eius.

Duplex est {
- Separabile quod actu potest separari, *vt calor ab aqua.*
- Inseparabile, quod non reipsa sed intellectu solùm separatur, *vt candor à cygno.*

Aliàs etiam dividitur Accidens in Prædicabile & Prædicamentale.

Accidens prædicabile est quod contra distinguitur Proprio, *sic risibile est proprium sed non accidens.* Prædicamentale est quod opponitur Substantiæ, sic omnia prædicamenta, Substantiâ solùm exceptâ, sunt accidentia, & in hoc sensu proprium dicatur Accidens, id est, non substantia.

Finita iam de prædicabilibus tractatione, ipsa

ipsa prædicaméta sequuntur enucleanda, prælibaris solùm quibusdam ad cognitionem prædicamentorum necessarijs, quæ obinde ab Aristotele vocantur Ante prædicamenta & proximo in loco intercedunt pertractanda.

CAP. IIII.

De tribus definitionibus.

TRactatus de prædicamentis in tres partes diuiditur, quarum prima agit de Anteprædicamentis, secunda de Prædicamentis ipsis, vltima *De post prædicamentis*: de singulis suo ordine.

Antepradicamentum quid. Anteprædicamentum est proœmiale documentum valens ad cognitionem prædicamentorum à priori.

Quot sunt antepradicamenta.

Tria in genere, septem in specie sunt antepredicamenta	Definitiones tres. Diuisiones duæ. Regulæ duæ.

Æquiuocorum denominatio. Prima definitio est Æquiuocorum, quæ hunc in modum ab Aristotele definiuntur. Æquivoca seu Homonymia sunt, quorum nomen solum est commune, sed ad illud nomen accommodata definitio alia est atque alia, *quemadmodum Canis*.

Æquiuoca duplicia.

Æquivoca sunt duplicia	Æquivocantia, nomina scilicet communia, vt *Canis*. Æquiuocata, quæ sunt res per illa nomina significatæ, vt *Canis marinus*, *cælestis*, *domesticus*.

Æquivoca verò hoc in loco definita sunt æquivocata, quæ ab vno æquiuoco æquiuocante vt à nomine communi dependent.

Ad

Ad æquivoca ficut ex definitione colligitur tres requiruntur conditiones. Prima eſt vt vnum habeant nomen commune, id eſt, vt æquivoca in vno æquivoco æquiuocante conueniant; Secunda vt diuerſa ſit æquivocatorum definitio & diuerſus conceptus; Tertia vt illa æquivocatorum definitio ad æquivocum æquiuocans applicetur, & illius ratione dicatur diuerſa. v. g. *Canis marinus & domeſticus*, in vno communi nomine conveniunt quod ambo vocantur *Canes*; ſed diuerſas ſortiuntur definitiones & conceptus; ille enim eſt *Canis qui extra aquas*, *hic qui intra aquas degere non poteſt*; & licet ambo ratione alicuius tertij dicantur vnivoca, & eandem ſortiantur definitionem, *vt ratione animalis vterq; dicatur corpus animatum ſenſile*, hæc tamen definitio non eſt ad idem nomen accommodata, ſcilicet ad æquivocum æquivocans, *Canem*. *Tria ad æquivoca requiruntur.*

Notandum autem eſt quod æquivocatio ſemper ſumenda eſt reſpectu rerum verè exiſtentium. Nam ſi latiùs extendatur ad res apparentes, fictas aut pictas, quodlibet vocabulum erit ambiguum; nihil enim enim eſt quod non fingi poteſt aut pingi. *Nota.*

Secunda definitio eſt Vnivocorum. Vniuoca autem ſunt quorum & nomen commune eſt & ad illud nomen accommodata definitio eſt eadem; ſic *homo & bos in* vno communi nomine conueniunt, quòd ambo appellantur *animalia*, eandemque definitionem habent ad vnivocum vnivocans applicatam, *quia brutum eſt Corpus animatum ſenſile, non aliter quàm homo.* *Definitio vniuocorum.*

Vni-

Vniuoca duplicia.

Vnivoca sunt duplicia. { Vnivocantia, nomina scilicet communia, *vt Animal.* Vnivocata, quæ sunt res significatæ, *vt homo brutum,*

Æquivoca & vnivoca in eo conveniunt, quòd ambo habent vnum nomen commune: sed differunt quod æquivocorum solum nomen commune est, vnivocorum vero tum nomen tum definitio.

Analoga.

Inter æquivoca & vnivoca media sunt Analoga, quippe quæ nec plane eandem, vt vnivoca, nec prorsus diuersam vt æquivoca definitionem sortiuntur, sed naturam suam secundum prius & posterius analogatis communicant: *sic Ens de Substantia dicitur & ratione Substantia de Accidente, sic sanitas medicina, vrina, & animali attribuitur*, cuius illa quidem causa, ista signum, hoc verò subiectum dicitur.

Definitio denominatiuorum.

Tertia definitio est Denominativorũ. Denominatiua verò dicuntur quæcunque ab aliquo ita vt casu differunt, nominis appellationem habent, *vt à fortitudine fortis.*

Duo ad denominatiua requiruntur.

Ad denominativa duo requiruntur, primò vt ab aliquo nomine appellationem habeant, id est, vt ab aliquo vocabulo deriventur, secunda vt ab eodem nomine, casu, hoc est, vltima seu finali syllaba, differant, *vnde Grammatica ars & Grammatica mulier non habentur denominatiua*, quia casu non differunt & proinde inter æquivoca sunt ennmeranda.

Denominatiua triplicia.

Denominativa sunt triplicia. { 1. Re tãtùm, *vt virtus & studiosus.* 2. Voce tantùm, *vt vinum & violentem.* 3. Re & voce simul, *vt vinum & vinosus:* quæ sola in præsentiarum definiuntur.

Ad

Ad omnem denominationem tria requiruntur, Nomen Substantivum quod vocant denominans. Nomen Adiectivum, quod est denominativum. Subiectum, quod vocatur denominatum: vt quando dicimus *Cæsar & iustus*. *Cæsar* est denominatum, *Iustus* Denominativum, *Iustitia* denominans, quæ *Cæsari* inhærens facit vt ipse iustus denominaretur.

Tria ad denominationem requisita.

CAP. V.

De duabus diuisionibus.

DVæ sunt divisiones, vna vocum, altera rerum.

Vox dividitur, in
- Incomplexam que sine coniunctione effertur, *vt homo, vincit.*
- Complexam quæ ex simplicibus conflatur, *vt homo vincit.*

Prima diuisio vocum.

Tribus modis vox Complexa & incomplexa diciturvel
- Re tantùm.
- Voce tantùm.
- Re & voce simul.

Tribus modis vox complexa & incomplexa dicitur.

Vox illa quæ sub vno nomine plures significationes cōplectitur, est voce tantū simplex re tantum complexa, vt *Canis* licet sit voce simplex, res tamen plures in ea voce latent.

Cum plures voces ad vnam rem simplicem exprimendā coniunguntur ob defectum proprij nominis vox est re simplex & voce tantum complexa, vt *corpus animatum*.

Quando simplex dictio rem simplicem significat, vocatur vox re & voce simplex, *vt homo*. Re & voce complexa est, cum plures voces ad multas res significandas destinantur,

tur, vt *Labor omnia vincet. Index est animi sermo.* Estque vel { Distans. / Indistans.

Distans est cuius extrema copulâ verbali vel coniunctionali vniuntur, *vt Homo est animal.*

Indistans est cuius extrema componuntur, vt determinatum & determinabile; vt *Homo iustus.*

Nota. Ex omnibus complexis, complexum voce tantùm in prædicamentis reponitur: ex omnibus incomplexis, incomplexum voce tantum excluditur.

Quadruplex diuisio rerum. Res omnes sunt, vel { Substantiæ, / Accidentia } vtraque vel { Vniversalia. / Particularia.

1 Vniuersales substantiæ, dicuntur de subiecto, sed non sunt in subiecto; *vt homo de Socrate & Platone dicitur, sed nulli subiecto inhæret.*

2 Particularis substantia, nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto, quia est indiuidualis substantia, vt *Socrates.*

3 Vniuersalia accidentia dicuntur de & sunt in subiecto, vt *albedo de hac & illa albedine dicitur, & homini, parieti, aut naui inest.*

4 Particulare accidens, de subiecto nullo dicitur, sed in aliquo est; *vt hac albedo in Socrate.*

Inesse in subiecto. Illud verò in subiecto esse dicitur quod cum in aliquo non quasi pars sit, non tamen potest esse sine eo, cui inest.

Tres inessendi conditiones. In qua definitione tres ordine continentur inessendi conditiones. Prima est, vt in aliquo insit, id est, vt inhæsiuè sit in subiecto, & non ratione intentionis, vt *res est in fine*, qui inten-

intenditur; nec ratione gubernationis, *vt rex in regno:* nec ratione locationis, *vt locatum in loco.* Secunda, vt non sit eius pars, vnde *nec genus in specie, nec species in genere propriè inesse dicatur*; quia illud est speciei pars materialis vicem materiæ supplens hæc generis pars subiectiua & ipsi subordinatur. Tertia, vt non possit esse sine eo cui inest; *vnde vestes & arma propriè corpori non insunt*, quia esse possunt corpore sublato.

Octo sunt inessendi modi his versiculis comprehensi. *Modi inessendi 8.*

Insunt, 1 *Pars*, 2 *Totum*, 3 *Genus*, 4 *Species*, 5 *Calor igni*,
6 *Rex in regno*, 7 *Res in fine*, 8 *Locoque locatum.*

Ex his omnibus modis ille solùm est intelligendus, qui est; *vt calor in igne*, id est, inhæsiuè vt accidens in subiecto; reliqui omnes contra vnam aut alteram ex dictis inessendi conditionibus offendunt.

Præterea operæ pretium est notare quòd duplex est subiectum, vnum Prædicationis, alterum inhæsionis. Subiectum prædicationis est quod alicui vniversali subijcitur; sic *homo animali, animal corpori, corpus substantiæ subordinatur.* Subiectum inhæsionis est, quod accidenti alicui subijcitur, vt sustentaculum quo suffulcitur; sic *albedo est in pariete*, à pariete enim sustentatur, ipsoque absumpto consumitur eadem albedo. *Subiectum duplex.*

Vbicunque vero in dicta rerum diuisione inueniuntur hæc verba [*Dicuntur de subiecto*] intelligendum est subiectum prædicationis: vbi autem illa verba [*sunt in subiecto*] subaudire debemus subiectum inhæsionis. *Nota.*

CAP.

Cap. VI.

De duabus regulis.

Dvæ sunt regulæ, quarum prima est.

Reg. 1. Quodcunque dicitur de prædicato, idem dicatur de subiecto, vt *si Socrates sit homo, & animal, de homine dicatur, vt etiam de Socrate prædicetur necessum est.*

Multæ sunt huius regulæ limitationes, inquas istæ notatu dignissimæ.

Exceptiones. Primò vt non sit progressus à vocibus ad res, id est, à vocibus primæ ad voces secundæ intentionis; vnde non sequitur, *Animal est genus, Homo est animal*, ergo, *Homo est genus*. Secundò, vt non sit transitus ab vno latere seriei prædimentalis ad aliud latus, vnde non sequitur; *Homo est animal, Animal est vel rationale, vel irrationale*, ergo, *Homo est vel rationalis, vel irrationalis.*

Tertiò, vt non procedatur à concreto ad abstractum, vnde non sequitur, *Homo est iustus, Iustitia est qualitas*, Ergo, *Homo est qualitas.*

Reg. 2. Secunda regula antepRædicamentalis in duas partes distrahitur. Prima est, Diuersorum generum non subalternatim positorum diuersæ sunt species & differentiæ: *sic species & differentiæ. Qualitatis diuersa sunt à speciebus, & differentiis Substantiæ aut Quantitatis.* Secunda est, Generum subalternatim positorum, nihil prohibet easdem esse species & differentias, *sic Corporea est differentia corpus constituens, quæ corpori composito animato, sensili attribuitur, quia hæc omnia ipsi subordinantur.*

Cap.

CAP. VII.

De Prædicamentis in genere.

ABsolutis anteprædicamentis ad ipsorum pædicamentorum tractationem perveniendum est: perspectâ primò generali eorum naturâ, vt quid posteà de singulis sit dicendum cognitum habeamus.

Prædicamentum Quid.

Prædicamentum est vocum res simplices exprimentium ordinata quædam series.

Quomodo res & quomodo voces in serie prædicamentali reponuntur.

Ex hac definitione constat, quòd res & voces ad seriem prædicamentalem constituendam simul conveniunt. Res enim vt sunt res apud Logicos non considerantur, sed quatenus sunt vocum fundamenta; sic corpus naturale in Substantia ponitur, & in illius serie consideratu, sed non vt ex principijs, materia scilicet aut forma constet, nec vt affectiones habeat in motu nimirùm, in loco, in tempore esse, sed vt est fundamentum secundæ intentionis, seu vt est Genus quod per differentias divisiuas potest diuidi. Vt enim Medico oculum curaturo necessarium est aliquam licet non exquisitam oculi cognitionem habere; ita in Logico requiritur, vt tantam rerum cognitionem haberet, quanta sufficeret ad notiones secundas super easdem fundandas & stabiliendas.

Quæ collocanda sunt in serie prædicamentali.

Quodcunque verò in serie prædicamentali reponitur est ens reale & positivum, simplex & per se vnum, vniversale, completum, finitum, voce distincta ac certa significatum.

Hinc

Hinc excluduntur.

Quæ excludenda.

Vox artis, conſignificans, priuatio, fictum,
Pars, Deus, excedens, complexum, ſeu poly-ſemon,
Iſta Categoriis non poſſunt verba locari.

Excluditur Vox Artis quia eſt notio ſecunda ſeu ens rationis, quod nobis non cogitantibus non exiſtit, vt *Zodiacus, Genus, Prædicamentum.*

Deus, quia propter ſuam eminentiam ſub genere non eſt, & differentia conſtituente caret, ita vt magis ſit ſupra ſeriem, quàm in ſerie.

Conſignificans, quod nihil certi ſignificat, vt ſunt aduerbia, nomina partitiua, interrogatiua, vniuerſalia, & particularia ſigna, *vt omnis, aliquis, quidam, nullus.*

Priuatio, quia non donotat ens poſitiuum, ſed rei abſentiam, *vt tenebra.*

Fictum præcipuè impoſſibile, quod nihil in rernm natura ponit.

Pars præſertim eſſentialis & integralis, quia non ſunt entia completa.

Excedens ſeu tranſcendens, quia per omnia prædicamenta peruagatur, vt *Ens, aliquid, vnum, bonum, verum.*

Complexum re & voce ſimul, quia vnam rem ſimplicem non ſignificat, *vt homo albus.*

Polyſemon ſeu æquivocum ante factam diſtinctionem, vt *Canis.*

Rerum collocatio in prædicamentis.

Obſeruandum eſt denique quod ex ijs quæ in ſerie prædicamentali reponuntur, quædam ſunt κατὰ βάθος, quædam κατὰ πλάθος. id eſt, quædam in ſerie directa, *vt genera & ſpecies,* quædam collateraliter, *vt differentia,* collocantur, quædam etiam propter

ter indiuisibilitatem naturæ in serie propriè non sunt, sed veluti graduum ba es & statumina substernuntur, vt Individua omnia quæ perfectè nec diuidi possunt nec definiri.

Prædicamentorum numerus.

Decem ab Aristotele ennmerantur prædicamenta seu rerum capita, nec datur ens aliquod finitum & completum quod sub vno horum non comprehenditur.

Horum vnum est substantiæ, Substantia vulgò dictum, nouem vero accidentis, 1 Quantitas, 2 Qualitas, 3 Actio, 4 Passio, 5 Relatio, 6 Vbi, 7 Quando, 8 Situs, 9 Habitus.

Singulorum exempla sunt hoc disticho inclusa. 1. *Arbor,* 2 *Sex,* 3 *seruos,* 4 *feruore,* 5 *Refrigerat,* 6 *Vstos.*
7 *Ruri,* 8 *Cras,* 9 *Stabo, nec* 10 *Tunicatus, ero.*

Diuisio.

Ex his quædam sunt Absoluta prædicamenta, quæ obinde vocantur Principalia, & sunt tria, Substantia, Quantitas, Qualitas; cetera septem sunt minùs Principalia, quia notant respectum aliquem inter duas res, vt Relatio quæ connotat respectum inter Relatum, & correllatum; Actio & Passio, quæ resul ant ex vnione alicuius qualitatis cum substantia; Vbi & Quando, quæ oriuntur ex substantia considerata cum circumstantiis Loci & Temporis; Situs qui fit ex respectu partium ad totum: Habitus, qui procedit ex applicatione integumenti ad corpus.

CAP. VIII.

De Substantia.

Substantia definitio.

INter prædicamenta prima ſemper obtinuit Subſtantia, quòd omnium accidentium eſt fundamentum.

Subſtantia verò definitur ens per ſe ſubſiſtens accidentibus ſubiectum; *Vt homo*, qui nulla re niſus, albedinis, virtutis; & id genus aliorum accidentium eſt fundamentum.

Eius diuiſio.

Subſtantia eſt duplex, Prima, vel Secunda.

Substantia prima.

Subſtantia prima, quæ maximè & propriè ſubſtantia dicitur, eſt, quæ nec eſt in ſubiecto, nec dicitur de ſubiecto; non eſt in ſubiecto, quia eſt ſubſtantia, nec dicitur de ſubiecto, quia eſt indiuiduum, vt *Socrates, hæc arbor*.

Cur ita dicta.

Indiuidua enim primæ ſubſtãtiæ dicuntur duplici de cauſa, primò, quia ſubſtant reliquis omnibus rebus, ſiue ſint accidentia quæ de eis inhærent, ſiue ſecundæ ſubſtantiæ, quæ de ipſis prædicantur & in ipſis exiſtunt; ſecundò quia ſingularia primò feriunt ſenſus, priùs enim *Socratem* videmus quàm *hominem*, primariò enim. & per ſe Indiuidua agunt & ſentiuntur.

Substantia ſecunda.

Secundæ ſubſtantiæ ſunt primarum genera & ſpecies, vt *Homo, Corpus, Animal:* & ideò vocantur Secundæ, quia ſecundo loco vi intelligentiæ noſtræ ex primis colliguntur: videndo enim *Socratem, Platonem* & alios particulares homines, quid homo illorum ſpecies ſit ſtatim colligimus.

Quare ſic appellata.

Nota.

Inter ſecundas verò eæ magis ſubſtantiæ dicuntur, quæ primis ſunt viciniores, vt Species ſuis generibus.

Pro-

Proprietates eius sex sunt.

Substantia non est in subiecto, nimirùm inhæsionis: sic enim duo corpora essent in eodem loco. Meliùs nullo modo hæc proprietas exprimi potest, quàm supponendo hominem per fores clausas & non cedentes penetrare potuisse, quod si fieret, duo corpora in ipso transitu eodem loco comprehenderentur. 1 *Proprietas.*

Secundæ substantiæ & earum differentiæ, vnivocè de primis prædicantur. *Vniuocè vero prædicari*] est attribui primis & secundum nomen, & nominis rationem, *sic Animal, & quod animal constituit sensile, de Socrate prædicatur, & secundum nomen, quia Socrates est animal, & nominis rationem: quia Socrates est corpus animatum sensile, quæ est animalis definitio.* 2 *Proprietas.*

Omnis substantia videtur significare hoc aliquid. Hoc singularitatem, Aliquid substantiam significat, ita vt sensus sit, Omnis substantia singnlarem, & substantialem essentiam designare videtur; quod quidem reuerâ cernitur in primis substantijs. Nam *Socrates singularem substantiam denotat*, & solùm videtur esse in secundis, quatenus nimirum de primis prædicantur; vt *quando dico Socrates est homo; Homo quodammodo Socratem & ita singularem substantiam significare videtur.* 3 *Proprietas.*

Substantiæ nihil est contrarium. Non recipit magis aut minus. Vtræque hæ proprietates sunt intelligendæ de substantia quoad eius essentiam, & non secundum qualitates ipsi inhærentes. *Ignis enim aqua contrariatur & hæc aqua illâ magis minusq; calida dicitur,* 4 5 *Proprietates.*

B *sed*

sed hoc accidit propter calorem & frigus in subiectis, & non ratione ipsorum subiectorum, quæ nunquam sibi inuicem contrariantur.

6 Proprietas. Substantia vna & eadem numero permanens est contrariorum susceptibilis, id est, Quamuis substantia nihil habet sibi contrarium, in se tamen successiuè; in gradibus intensis; aut simul in remissis, eadem recipere potest, quatenus est eorum fundamentum; *sic eadem aqua quæ nunc valdè calida est, statim erit frigida.*

Exceptio. Excipiendæ verò sunt illæ substantiæ, quæ vnam qualitatem naturaliter impressam habent, *vt ignis cum naturaliter sit calidus, nunquam frigidus esse potest.*

Substantiæ series.

Sub-

Substantiæ series.

Substantia series prædicamentalis.

Substantia,

Corporea, *Incorporea seu spiritus, cuius duæ sunt species.*

- *Intelligentia cuius ordo est,*
  - 1 *Seraphin.*
  - 2 *Cherubim.*
  - 3 *Thronus.*
  - 4 *Potestas.*
  - 5 *Dominatio.*
  - 6 *Virtus.*
  - 7 *Principatus.*
  - 8 *Archangelus.*
  - 9 *Angelus.*
- *Anima*
  - 1. *Vegetatiua,*
  - 2. *Sensitiua,*
  - *Rationalis.*

Corpus,

Corruptibile *Incorruptibile siue orbes cælestes.*

- 1 *Cælum empyræum.* 2 *Primum mobile* 3 *Cælum Chrystallinū.* 4 *Firmamentū.* 5 *Cælum Saturni,* 6 *Iouis.* 7 *Martis.* 8 *Solis.* 9 *Veneris.* 10 *Mercurii.* 11 *Luna.*

Corruptibile.

Animatum, *Inanimatum quod est vel*

- *Elementum*
  - *Ignis, Aeris.*
  - *Aqua, Terra.*
- *Mineralia*
  - *Lapides, vt Marmor*
  - *Metalla, vt Aurum*
  - *Mediū, vt Sulphur.*

Animatum,

Sensile, *Insensile seu Planta quarum tres sunt species.*

- *Arbor, vt Cerasus, Laurus.*
- *Frutex, vt Myrtica, Arundo.*
- *Herba, vt Nasturtium, Beta.*

Animal,

Rationale, *Irrationale, vt Bestia, quæ est vel*

- *Volatilis, vt Auis.*
- *Gradiens, vt Equus, Leo.*
- *Aquatilis, vt Halec.*
- *Reptilis, vt Vipera.*

Homo,

Socrates — Plato — Cato — Cæsar

Nulla datur ſubſtantia completa, quæ non in hac ſerie continetur Incompletæ verò ſubſtantiæ, cuiuſmodi ſunt partes omnes, *vt Manus, Pes, Caput, Ramus,* non directè ſed reductiuè hîc collocantur, quatenus ſcilicet ad ſuum totum reduci poſſunt : *vt Pes ad animal gradiuum, & Ramus ad arborem vegetantem.*

CAP. IX.

De Quantitate.

Quantitatis definitio.

QVantitas eſt ſecundum quam aliquid quantum aut quotum dicitur. Res enim omnes ob magnitudinem quantæ, ob multitudinem quotæ dicuntur ; *Sic ob ſuperficiem campus ampliſſimus, ob numerum ingentem exercitus copioſus appellatur.*

Aliàs etiam definitur Quantitas, Accidens quod ſubſtantiæ communicat, vt in partes diuidi poſſit. Quum verò partes ſunt duplices, diſcretæ, vel continuæ, hinc naſcitur prima Quantitatis diuiſio in Continuam & Diſcretam.

Prima diuiſio Quantitatis.

Quantitas continua eſt cuius partes communi termino copulantur. Terminus verò communis eſt, qui duo connectit, quorum vnius extremum eſt, initiumque alterius.

Quantitatis continuæ quinque ſpecies.

Quinque ſunt ſpecies quantitatis continuæ.
- 1. Linea.
- 2. Superficies
- 3. Corpus.
- 4. Tempus.
- 5. Locus.

Cuius partes
- Puncto.
- Linea.
- Superficie.
- Nunc.
- Superficie.

tanquã termino communi copulantur.

Linea

Linea.

Linea est longitudo, latitudinis expers, cuius extrema sunt duo puncta.

Superficies.

Superficies est quæ longitudinem & latitudinem tantùm habet, cuius extrema sunt lineæ, Veræque hæ species more Mathematicorum sunt intelligendæ, non de lineis pictis, sed verè existentibus, animi tantùm, non corporis oculis conspicuis.

Corpus.

Corpus lõgitudinem, latitudinẽ, & profunditatem habet, eiusq; extrema sunt superficies.

Locus.

Locus est, superficies cõcaua corporis ambiẽtis: *sic turris locus est aer, piscis locus est aqua.*

Tempus.

Tempus est spacium ex solis cœlique, hoc est, astrorum vertigine collectum: *sic dies est spacium illud, in quo Sol ab Oriente in Occidentem rapitur.*

Discretæ quantitatis species.

Discreta quantitas est, cuius partes separatæ sunt & disiunctæ, nulloque communi termino copulantur. Eius duæ sunt species, Numerus, Oratio.

Numerus.

Numerus est vnitatum multitudo, *sic quatuor est multitudo quatuor vnitatum,* quæ nulla connexione vniuntur.

Oratio.

Oratio est mensura literarum & syllabarum, secundum longitudinem, & breuitatem, Est quantitas, quia mensurat, & discreta, quia litteræ & syllabæ distinctè pronuntiantur, vt ho-mo A-ni-mal.

Secunda diuisio Quantitatis.

Hæ duæ quantitatis species rursus subdividuntur in Quantitatem	Habentem Non habentem	Partium positionem.

Quæ requiruntur ad partium positionem.

Tria verò requiruntur vt quantitas habeat partium positiomem, primò vt partes termino communi copulentur, *vnde Numerus, & Oratio excluduntur, quia sunt discretæ* quantitates;

tates; secundò vt sint alicubi sitæ, ita vt digito demonstrari possint; tertiò vt simul sint ac permaneant; *Per vtrasque conditiones* oratio & tempus *amandantur quod propter perpetuum suum fluxum, nec situm habeant nec permanentiam*; Restat igitur quòd quatuor sint species quantitatis partium positionem habentis, 1. Linea. 2. Superficies. 3. Corpus. 4. Locus; tres non habentis. 1. Numerus. 2. Oratio. 3. Tempus.

Nota. Qualitates aliquando quantitatis nomen sortiuntur; vt *Platonem magnum Philosophum, Archimedem magnum Mathematicum vocamus*, sed quantitates quas prius nominauimus sunt per se, hæ solùm ex accidenti.

Tres sunt proprietates Quantitatis.

2 Non recipit magis & minus; *ita gigas licet sit Pygmæo maior ratione corporis non tamen est magis Quantitas, quam Pygmæus æquè enim extenduntur, licet æqualem extensionem non habent.*

3 Istæ duæ proprietates Substantiæ cum Quantitate sunt communes; Maximè verò Quantitati proprium est; vt exinde res dicatur, æquales aut inæquales; *sic corpus bicubitum est tricubito inæquale, alteri vero bicubito æquale.*

Series Quantitatis.

Quantitas est vel
- Continua, estq; vel
  - Perfecta, vt *corpus quod trinas dimensiones habet.*
  - Imperfecta, quæ est vel
    - Longitudo tãtum, *vt linea.*
    - Latitudo tantùm, *vt superficies.*
- Discreta cuius duæ sunt species
  - Numerus
  - Oratio.

Ad

Ad hanc seriem analogicè reduci possunt extensiones graduales; *vt calor calore maior vel minor dicitur*, & extensiones grauitatis, seu ponderositatis, quæ quidem magis intensiones reuerà dici debent.

CAP. X.
De Qualitate.

QValitas est forma accidentalis, à qua subiectum denominatur Quale: *sic à grauitate lapis grauis, à velocitate equus velox appellatur.* *Qualitatis definitio.*

Qualitatis quatuor sunt species, Habitus, Potentia naturalis, Qualitas patibilis, Forma. Sed quia quælibet istarum specierum latitudinem habet, quatuor quasi gradus his speciebus adduntur, Habitui dispositio, Potentiæ Impotentia, Qualitati patibili Passio, Formæ Figura. *Eius diuisio.*

Habitus est qualitas perfecta & consummata, multis actionibus acquisita, vel diuinitùs infusa, qua ita inhæret subiecto, vt propter firmitatem, & constantiam, non facilè permutetur contrario: *vt vera & acquisita dicendi scientia in Cicerone, aut pugnandi in Alexandro.* *Habitus.*

Habitus primò diuiditur ratione subiecti in Habitum corporis, *cuiusmodi est sanitas firma in corpore absolutè salubri, saltandi etiam & natandi experientia*, & in Habitum animi, *cuius generis sunt virtutes & disciplinæ omnes.* *Prima habitus diuisio.*

Secundò ratione adeptionis habitus & præsertim animi diuiditur in	Infusum. Acquisitum.

Diuisio secunda.

Infusus est, qui singulari Spiritus Sancti gratiâ infunditur in hominum mentes, vel extraordinariè, *vt doctrina in Apostolis, vel ordinariè vt fides in electis.*

Acquisitus est, qui crebris actionibus acquiritur *vt dicendi & disserendi peritia* & licet Spiritus Sancti gratia ad istum etiam requiritur, non tamen eo peculiari modo quo ad infusum.

Dispositio. Dispositio seu affectio est qualitas fluxa & transiens, quæ quia nondum penitùs fideliterque est infixa, excuti non ægrè potest. sic *cum quispiam rudi Minerua literas aut syllabas depingere potest, est in inclinatione ad scribendum, quum verò artificiose easdem queat exarare, habitum acquisiuit*; vnde habitus ætati virili, dispositio iuvenili comparatur, quod ille est dispositio perfecta, hæc habitus inchoatus.

Quomodo differt ab habitu.

Potentia naturalis. Potentia naturalis est qualitas naturaliter subiectis insita, quæ habilitatem conciliat, vt ad præstandas certas actiones, aut acquirendos habitus magis idonea habeantur; *vt bona valetudo, memoria tenax, ingenium acutum.* Et licet hæc potentia ad habitum requiritur, tanquam prævia quædam dispositio, & naturalis inclinatio; à dispositione tamen differt, quòd Potentia est quid insitum, & vi naturæ generatur; Dispositio est quid aduentitium & per aliquos actus acquiritur.

Quomodo differt à dispositione.

Diuisio potentia. Potentia duobus modis dividitur. Primò in { Actiuam. Passiuam.

Actiua. Actiua est, qua sumus ad agendum potentes *Sic ignis potentiam actiuam habet ad Vrendum, cultrum ad secandum.*

Passiua. Passiua est, quâ res aptæ sunt ad aliquid patiendum; *Sic molle potentiam habet vt secetur.*

cetur. Vti æque hæ potentiæ actu perficiuntur bifariam, vel scilicet cum in opus exeunt, *vt quando ignis urit*, vel cum in habitum vertuntur; *vt quando puer discit literas.*

Secundò potentia diuiditur in { Primam. Secundam. — *Secunda diuisio.*

Prima est quæ proximè emanat è forma subiecti, vt *potentia loquendi in homine, sentiendi in brutis, illa ab anima rationali, hæc à sensitiua fluit.* — *Prima.*

Secunda est dispositio organi & temperamenti, per quam potentia illa prima in actum producitur, atque hæc omnibus non æqualiter communicatur, sicut illa prima; *Luscus enim propter organi debilitatem non tam clarè videt, quàm qui magna acie est præditus, licet vterq; primam potentiam æqualiter fortitur.* — *Secunda.*

Impotentia est imbecilitas facultatum naturalium in substantijs, siue animatæ sunt, siue inanimatæ; vt *Sterilitas in agro, stupiditas in homine.* — *Impotentia.*

Qualitas patibilis est quæ infert passionem sensui; *Ita tactus frigore & calore, molli & duro afficitur, visus coloribus, auditus sonis, sapore gustus, odore olfactus.* — *Qualitas patibilis.*

Passio est subita animi commotio ex qua oritur calor sensum afficiens; *vt rubor quo vultus ex verecundia suffunditur:* Differt à patibili qualitate, quia non est stabilis & permanens, *vt candor in pariete*: sed qualitas citò amota; *vt pauor ex metu.* — *Passio.*

Figura est terminatio qualitatis, quæ termino aut terminis clauditur; *vt Circulus, Triangulus, Quadratum.* — *Figura.*

Forma est constitutio membrorum, & partiũ in ipsa figura, sub sensum videndi cadens; — *Forma.*

membrorum quidem in animalibus, *vt in homine, aut leone*; partium in reliquis corporibus; *vt forma pyramidis, aut Amphitheatri.*

Vel vt alij planius definiunt. Forma est coloris totius corporis, inprimis verò faciei suauitas. Figura est lineamentorum seu partium corporis, optimus situs. *Sic Æthiops bene figuratus esse potest, sed non valdè formosus, Anglus etiam formosus satis, sed malè figuratus.*

Proprietates eius sunt tres,

1 Sola qualitas propriè & per se contrarietatem recipit; *Sic calidum frigido, album nigro contrariatur.*

2 Qualia magis & minus recipiunt, id est Qualitates in subiectum suum non in instanti, sed paulatim & per gradus ingrediuntur; *vt aqua primo teporē, inde calorem vltimo feruorem recipit*; vnde non ipsa qualitas, sed potiùs qualitatis receptio dicitur esse secundum magis & minùs.

Vtræque hæ proprietates soli, sed non omnī qualitati conueniunt. Potentiæ enim naturales, & Figura, nec contrarietatem. nec gradus recipiunt. Patibiles qualitates etiam contrariantur, sed non omnes; medijs enim coloribus nihil reperitur contrarium.

3 A qualitate res dicuntur similes aut dissimiles, sicut à quantitate æquales aut inæquales; *Sic qui eodem colore imbuti sunt, similes; qui diuerso, dissimiles appellantur.*

Series

Series Qualitatis.

Qualitas vel
- Sub sensum non cadit, ut
  - Habitus qui est, vel
    - Animi, estque vel
      - Infusus
        - Ordinarie ut: Fides. Spes. Charitas. — In omni fideli.
        - Extraordinarie, ut donum: Miraculorum linguarum — In Apostolis.
      - Acquisitus qui
        - Appetitum ut Ethica, Intellectum ut Physica. — dirigit.
    - Corporis, estque vel
      - Infusus, ut Sanitas ex miraculo.
      - Acquisitus ut Sanitas ex medicina.
  - Potentia quæ est, vel
    - Manifesta in: Inanimatis. Animatis.
    - Occulta quæ fit, vel per: Ἀντιπάθειαν. Συμπάθειαν.
- Sub sensum cadit ut
  - Patibilis qualitas quæ facit pati, vel
    - Auditum, ut Sonus.
    - Visum, ut Color.
    - Gustum, ut Sapor.
    - Tactũ, ut Qualitates tactiles.
    - Olfactum, ut Odor.
  - Figura quæ est, vel
    - Naturalis à natura data.
    - Artificialis ab artifice introducta, estque, vel
      - Plana, ut: Curuilinea. Rectilinea.
      - Solida, ut: Sphæra. Pyramis. Cubus.

CAP.